IOANNIS FABRI BAMBERGENSIS
MEDICI ROMANI.

DE NARDO
ET EPITHYMO

Aduerſus


IOSEPHVM SCALIGERVM.

DISPVTATIO.

QVA PLANTARVM ISTARVM VERA deſcriptio continetur; Dioſcoridis, Propertij & Ouidij loca declarantur, & à corruptela defenduntur: Medicorum denique & Pharmacopœorum honos à Scaligeri calumnijs vindicatur.

AD PERILLVSTREM ET REVERENDISS. DOMINVM

VICTORIVM MERVLLIVM
Protonotarium Apoſtolicum, & S. D. N. Pauli V.
Medicum Cubicularium.



ROMAE, Ex Typographia Gullielmi Facciotti. M. DC. VII.

SVPERIORVM PERMISSV.

PERILLVSTRI
AC
REVERENDISS. DOMINO
VICTORIO MERVLLIO
PROTONOTARIO APOSTOLICO
ET ARCHIATRO PONTIFICIO, &c.

IOANNES FABER BAMBERGENSIS
Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor, & in Romana
Academia Profeſſor, ac Simpliciarius
Pontificius S. D.

INSIGNIS eſt locus, quem apud *Sextum Empiricũ Philoſophum aduerſus Mathematicos capite nono legimus:* Maximè ſibi de ſuo artificio placent, & ſe magnificè iactant Grammatici: eos autem ſemper inſectantur, qui ſunt alijs ornati diſciplinis, vt qui nec Græcorum quidem communem vſum ſciant ac conſuetudinem: atque adeò ſi quando premantur in diſputatione, ſæpè non inueniant aliam euadendi rationem ad abſtrahendos eos, cum quibus diſputant, quam quod barbara ſit, ac Solæca eorum diſputatio. Videmus etiam Gram-

maticos, qui ferè ne duo quidem verba dextrè possunt contexere, velle vnumquemq. ex antiquis, qui dicendi facultate, & Græci sermonis proprietate plurimum valuerunt, vt Thucydidem, Platonem, Demosthenem, tanquam barbaros arguere.

Atque hanc non magis Philosophi sententiam esse, quam Delphicam dictionem & oraculum ex tripode profectum, cùm multorum aliorum ætatis nostræ Grammaticorum ac Criticorum, tum eius, qui dictaturam inter eos gerit, Iosephi siue Scaligeri, siue Burdonis exemplo satis superq. comprobatur. Neque enim huic homini satis fuit, ceteris quasi omnibus scientijs ac disciplinis se immiscere, homínesq. plurimum, maximaq. cum omnium gratulatione ac gloria in ijsdem versatos arrogantissimè in ordinem redigere, nisi Medicos quoque, & ῥιζοτομίας peritos (quorum complures ætas nostra vidit) censoria animaduersione notaret, grauissimamq. periculosæ ignorantiæ culpam promiscuè omnibus impingeret. Sed habemus nos Medici, & Botanicis addicti, quod gratulemur acumini Viri Clarissimi Gasperis Scioppij nostri. Hic enim cum in Iosephi Castigationes Propertianas incidisset, quo loco de NARDO & EPITHYMO disputat, deque restituto Dioscoride insolentissimè gloriatur, quòd longo librorum eius vsu doctus, nullam ipsius ostentationem, non cum insigni & propudioso aliquo errore, ac flagitio coniunctam sciret, maximas hoc quoque loco frustrationes eum dedisse & ludibrium doctis debere statim suspicatus est.

Veruntamen quoniam longissimè à Criticorum istorum abest insania, & plurimum in sua cuique artifici professione deferre ac credere didicit: rectè atque ordine facere se iudicauit, si mihi iudicium de Iosephi Conatu & successu potissimum deferret. Rescripsi itaque festinanter nonnulla, ne scilicet solus mutus essem in hoc loquaci, scribaci, ac strepero sæculo (Nam si vnquam, hoc certè tempore verissimum est illud Iuuenalis:

Iaqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali, tenet insanabile multos
Scribendi Cacoethes, & ægro in corde senescit.)

Respondi, inquam, paucula, quæ ipse postea libro suo, quo Iosephum L. Cornelia de falsis reum peragit, & furtim in Scaligerorum Veronæ, & Vicetiæ principum familiam irrepsisse

coar-

coarguit, appingendum & typis aneis in Germania describendum curauit. Sed quoniam eius libri perpauca huc afferuntur exemplaria, complures autem amici videndæ meæ cum Iosepho disceptationis desiderio teneri se ostendunt: persuaderi mihi passus sum, vt eam denuò prelo subijcerem, & inter Italos homines volitare paterer. Ceterùm quoniam haud me fugit, quanta sit Italicorum iudiciorum acrimonia, vt eò tutior disputatio hæc mea in publicum apud eos prodiret, tuum potissimum nomen ei præscribendum, tuaq. tutela eam, & patrocinio commendandam putaui. Quin enim velis ei auctor accedere, insignis illa tua humanitas dubitare me vetat, quam tu mihi quotidie etiam nunc ita promptam & prolixam exhibes, vt a fortuna patroni tui, postquam in Summum Pontificem subrogatus fuit, nihil nisi maiorem iuuandi veteres amicos tuos cupiditatem accessisse tibi appareat, & de magnitudine animi tui quantæcumque sortis capacissimi, cuius coniectare liceat. Nam quòd in tua eruditione, atque intelligentia tantum mihi paratum sit præsidij, quantum ad commendandam, vel obscurissimam & suspiciosissimam inuentionem satis sit, nihil hic me commemorare attinet, qui neque fortunæ tuæ blandiri volo, neque quam præclara sit omnium eruditorum de te opinio ignorare possum; vt quem solum ex tot præclarissimis Romanis Medicis ab Optimo Maximo Pontifice nostro, vt suæ valetudinis curæ præesses, electum omnes simul gratulantur: In quo tu hactenus Officio ea sagacissima Artis medicæ nostræ prudentia vsus es, vt Sanctissimum hunc Pastorem, Patronum nostrum ECCLESIAE non modò incolumem seruaueris, sed diutissimè porrò florentem Orbi & Vrbi *promittas, vnde tibi & meritas laudes persoluimus, & meritis tuis dignos honores non immeritò auguramur.*

Nihil autem aliud à te peto, nisi vt meam pro communi honore nostro aduersus audacissimi Critici iniurias propugnntionem, pignus veteris inter nos amicitiæ, meaq. propriè in te obseruantiæ esse patiaris.

Nam qui quàm potuit dat maxima, gratus abunde est:

Et finem pietas contigit illa suum.

Vt optimè canit Ouidius. Et demum quod hactenus strenuè egisti

egisti (unde tibi non minimam partem debeo, quod nuper à Sanctissimo Domino Nostro, Horti Pontificij Vaticani praefecturam literis Apostolicis in perpetuum corroboratam obtinui) me tibi omni fide, cultu & obsequio addictissimum amare diutius pergas. Vale. ROMAE Calendis Augustis Anno 1607.

D E

DE NARDO ET EPITHYMO

Aduerſus

IOSEPHVM SCALIGERVM DISPVTATIO.

IOANNES FABER BAMBERGENSIS.

GASP. SCIOPPIO SVO, Conſiliario Auſtriaco. S. P. D.

MVLTVM eſt, quod à me petis, Vir Clariſſime, idemq. amicorum meorum antiſtes, vt meam tibi mentem, & ſententiam ſuper illa *Ioſephi Scaligeri* de Spica Ciliſſa in Propertiano verſu commentatiuncula aperiã, & ſi quid fortè audacius, quam verius ab eo dictum videatur, liberè ad se perſcribam. Multum eſt, inquam, quod ſiue iubes, ſiue petis: nec tamen ſcio an plus etiam, ſi me ſuſcipiendæ prouinciæ tam duræ parem exiſtimas. *Haud equidem tali me dignor honore*. mi Scioppi, neque me ponderis, quo me oneras, grauitas adhuc fallit. Noui facilè, cuius Ioſephus iſte Patris ſit Filius: eius videlicet, qui priore ſæculo tam Philoſophiæ, quàm Medicinæ, omninoq. totius Encyclopædiæ dictaturam ſua ſponte ad ſe reuocauit, & (velut ipſe totidem

verbis

verbis de se gloriatur) *ex Hippocrate pependit, cum Galeno laudem, cum Platone lucem quaesiuit nominis sui, in Aristotelis fastu conquieuit, in Latina denique lingua ea praestitit, vt fatalem eorum leuitatem* mirari satis posse se negarit, qui secum *Varronem* togatorum omnium sine controuersia doctissimum componere fuissent ausi, cum ipsius iudicio, *neque Varro, neque illius temporis vllus, vel solos conatus ad similia praestanda afferre potuerit*. Quid iam filius, dæmonium illud viri, quisquam ne est *a sole ex oriente vltra Mæotis paludes*, qui ad summam tanti herois processerit? Hic nempe ille est, *Alpha* Criticorum, qui nos omnes, quotquot aliis studiis operari consueuimus, ex eoq. non satis magnum Critices vsum habemus, supercilio plusquam patritio contemnendos putat: solus scilicet

—gallinæ filius albæ
Nos viles pulli nati infelicibus ouis.

In quem adeo proprie cadat Homericum illud:

a Πάντων γὰρ κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν.
Πᾶσι δὲ σημαίνειν.

a Vult supra omnes alios esse omnibus quidem vult imperare omnibusq. rex esse.

Quinimo in tantam iam dignationem atque honorem successit, opera monumentorum ingenii sui, quæ in publico extare voluit, vt si se adorari permittere velit, religiosos sui cultores plures inuenturus videatur, adeoq; quicquid & quocunq. modo dicat, non magno negotio aliis persuadere possit. Scires non alij magis hoc ab Euripide dici:

b Τό γ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει· λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων αὑτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

b Dignitas, etiamsi male dicas, tua persuadebit. Sermo enim ab incelebribus profectus & a celebribus idem non idem valet.

Huc accedit, quod iam senior est Iosephus, *senibus autem* ait Quintilianus, *auctoritas maior esse solet quod plura nosse & vidisse creduntur*. Ego vicissim vt Homerus inquit:

c Αὐτὸς μὲν νέος εἰμί, καὶ οὔπω χερσὶ πέποιθα.
Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ

c Iuuenis sum, nec tam robustus, vt virum queam defendere, cum aliquis prior lacesserit.

qui vt habeam omnia, quæ ad obtinendam de tali ac tanto viro victoriam, & ad trophæum excitandum pertinent, multis tamen videbor senectuti ipsi parcere debere, & miserari

malam

malam ætatem, πολιῶντι κάρα, πολιῶντι γένειον. Vt enim non neſcis, [*Canumq. caput, canēq. barbam.*]

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq. ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Quid igitur faciam? Taceam? at ſilentium videbitur confeſsio, & cum voluntati tuæ, tum veritati defuero. Scribam? at deterrent me tam multa, quorum vnum quidq. homini pudenti ſcupulum queat iniicere. Hæreo igitur, nec quid potiſſimum faciam, ſatis adhuc decernere queo. Veruntamen rationibus vtrimque ſubductis, plus eſſe inuenio, quod tibi à me, & veritati debetur.

Ante omnia enim reuerentiam tuam & amicitiam deinceps conſeruans, non poſſum tibi hoc ſaluo iure negare; *Amicorum enim orata curare*, vt Symmachus tuus vult, *bonæ frugis officium eſt, præcipuè ſi non refragetur æquitas poſtulatis, cum contractus Amicitiæ & Religionis*, vt idem ait, *æternus ſit*. Quamuis autem tu in me verè Flaminius ille fueris, qui, vt eſt apud Plutarchum, eorum, quibus benefecerat, commoda ita cordi habebat, itaque ipſos amplecti ac fouere ſolebat, vt ſi ipſe vltro eis potius beneficiis deuinctus fuiſſet, quam quicquam in eos benefeciſſet: quamuis etiam tua in amicos propenſio iudicium illud tuum plerumq. tibi eripiat, quo alioquin, cum in literis, tum in rebus maximis conſulendis atque agendis, acerrimo & limatiſſimo vti te omnes, qui magis te tractant, admirantur, faciatq. vt pluris ferè amicos facias, quam eorum mediocritas mereatur, ex eoq. honeſto quidem, ſed tamen errore, neſcio quid magnum de ingenio, ſtudiiſq. meis, quod ſuſtinere nequeam, ſiue tibi, ſiue aliis perſuadeas: non tamen vereor, ne ſi tot tuis in me beneficiis, & huic ipſi tam præclaro de me iudicio parem gratiam non referam (quod quidem ſi ſanus ſim, ne ſperare quidem auſim) ingratæ mentis crimen, aliorum exiſtimatione ſim incurſurus, cum tuus me Seneca doceat, *Non opus eſſe ad liberandam fidem facultatibus ſed animo: reddere enim beneficiũ eum qui libenter debet*. Deinde ſi quis nō iniquus facto meo Iudex ſedere velit, etiamſi nonnihil mihi in eiuſmodi de-

B herbis

herbis plantisq. disputatione, meo quodam iure vindicem, arrogantiæ id mihi tribuendum minimè putabit, quod nihil scilicet extra cancellos professionis hoc facto egrediar, neque immemor illius videri possim:

—— Quod Medicorum est
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Nam vt optime Aristoteles: *Vnusquisq. ea rectè iudicat, quæ cognoscit, atque eorum bonus Iudex est. Vnamquamq. igitur rem benè iudicat, qui in ea, absolutè verò omnia qui in omnibus eruditus est.* Etsi enim ego libentissime fateor & præ me fero, his ipsis octo annis, quos hic Romæ feci, non ita me huic studio Botanico fuisse immersum, vt non Praxi medicæ, & vsui, partim in Vrbe ipsa, partim in florentissimo totius Italiæ (fermè dixerim Europæ) Hospitali Valetudinario sancti Spiritus in Saxia, maiorem temporis studiiq. partem tribuerim, inprimis autem humanorum cadauerum Anatomæ (ad æmulationem Aegyptiorum olim Regum: qui & ipsi cadauera aperiebant, propter illud puto γνῶθι σεαυτόν) quorum cētena admodum diuersi sexus & ætatis fecui: (in quibus si quid diligenti inspectione & sectione mihi fuit obseruatum, quod ad hanc Artem & curatoriam partem adhuc illustrandam superest, Deo fauente, publico aliquando non inuidebo.) Cum tamen iam sub tertio Pontifice Romano & Horti Pontificij Vaticani curam geram, & eam Medicinæ partem in Academia Romana publicè profitear, nihil me munere & professione mea alienum facturum existimaui, si huic oneri succederem, & Medicorum ac Pharmacopœorum honorem vindicarem, falsoq. à Scaligero periculosæ ignorantiæ crimen impactum ipsis esse, liquidò demonstrarem.

Præclarè quidem Cicero; *Auctoritas docentis*, inquit, *in discendo plurimum nocet*. non tam igitur authores in disputando quam rationes quærendæ. Quamuis enim, vt Plinius Iunior ait, nonnumquam modestiæ seruientes, *Cedere auctoritati debeamus*, rectius tamen esse ne ipse quidem negarit, *in tanta re ratione, quam auctoritate superari.*

Nec

Nec me fugit quod habet Lucianus, quod *qui velit admirationi esse, debeat aliquid nouum & singulare excogitare*. Et eodem monente, in mentem mihi venit, *quantum momentum habeat altum vociferari, & obstreperum audacemq. esse*; eiusq. ne Scaligerum non benè gnarum fuisse intelligo. Cui enim ignotum, quàm ei sit

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus ——

Vt Iuuenalis ait? Et si verum quærimus, non vltimus est, sed familiam ducit illorum, quos Clemens Alexandrinus graphicè depingit: *Qui seipsos erigentes calumnias verbis inuenire contendunt contentiosas cōparantes quæstiones, dictiuncularum venatores, pusillarum quarundam artium* (Critices dixeris) *æmulatores, litigatores & iurgiorum consarcinatores*. Ita enim me sancta nostra Hygeia amet, suoque me semper nomine condecoret, vt in hac omni benè verbosa eius disputatione de spica Cilissa, non nisi litigium perpusillum de nescio, quibus vocabulis tanquam fluctus in simpulo commotos inuenio. At enim non ita Myson, qui volebat *non ex verbis res, sed ex rebus verba esse inquirenda, neque debere propter verba res perfici, sed rerum gratia verba consummari*. Vnde Cleanthes rogatus, *cur olim cum pauci philosopharentur, multi clari euaserint, quia* inquit, *tum res quidem ipsa exercebatur, nunc autem verba solum*. Vt minimè abhorrens sit, quod quidam dixit: *Vt Terra quæ gignit salē, nihil aliud gignit, sic ingenia fœcunda in literis, in ceteris ferè rebus non perindè multum valere*. Quare metuendum mihi minimè est, ne dignitas Scaligeræa, obicem mihi in veritatem inquirenti ponat, cum is in alienam messem falcem mittat, & septa transiliat vt dici in Gymnasiis solebat. Etenim vt Athenæus rectè docet; *Grammaticorum est iudicare, cuiusnam sint hæc vel illa poemata*. Ab illis igitur non rarò Ars nostra corrumpitur, cum Medicina sit opus minimè sedentarium, nec otiosorum & cunctantium.

At enim absterrebit me forsitan cana eius senectus. Sed me confirmat Lucianus: *Verbis*, inquiens, *Omnis senex sem-*

per armatus est, nil non iactans, sed parum re praestans.

> *Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt,*
> *Vel quia turpe putant parere minoribus, & quae*
> *Imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

Vt Horatius canit. Quod si autem Sophoclaeum illud mihi impingere Scaliger voluerit:

> a Οἱ τηλικοίδε καὶ διδαξόμεσθα δὴ
> Φρονεῖν πρὸς τηλικοῦδε τὴν φύσιν?

non deerit mihi quod ex eodem Sophocle ipsi reponam:

> b Μηδὲν τὸ μὴ δίκαιον, εἰ δ' ἐγὼ νέος
> Οὐ τὸν χρόνον χρὴ, μᾶλλον ἢ τἄργα σκοπεῖν.

aut etiam ne παγκαλώτερος videar, ex Menandro:

> c Μὴ τοῦτο βλέψῃς, εἰ νεώτερος λέγω,
> Ἀλλ' εἰ φρονούντως τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ.

Senibus auctoritas maior est, (fateor) *quod plura nosse & vidisse creduntur: Sed non est expectanda vltima aetas, cum studia praestent, vt quantum ad cognitionem pertinet rerum etiam praeteritis saeculis vixisse videamur.*

Quare misso tandem antilogio ad rem ipsam accingar, & insuperhabito aetatis discrimine, tanquam vnus scilicet antiquorum hominum (vt cum Varrone loquar) subductis superciliis, quod res postulabit, dicam.

> d Χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν
> Ἧπερ δὴ φρονέω τε, καὶ ὡς τετελεσμένον ἔσται.
> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
> Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' ἰβάζει.

Nunc tempus est, mi Scioppi, rogandi te, vt bona cum pace ac gratia tua sermonem à te auertere, & paulisper cum Iosepho tuo colloqui, & qualia sint quae ipse pro suo Critico supercilio in hac Dictatura statuit, quam deniq. rectè atque ordine veterum loca restituerit, ad libellam & amussim examinare possim. Tu interim, quod assiduè soles facere, vt te factis magis, quàm sermonibus verè *Stoicae sectae Instauratorem* demonstres, literariam hanc pugnam patienti animo ausculta, *nam de Oleribus, quod solum restat nobis, est digladiandum,* quibus quasi solis, & sine vino pran-

a An tali aetate discemus sapere à iuvene?

b Hoc nihil iniusti; si verò iuvenis sum, nō aetatem, sed rem considera.

c Ne hoc respicias an iunior loquar, sed an viri sapientis verba proferam.

d Oportet sanè responsū aperte dare sicut sentio. Odi enim seu claustra Erebi quicunq. ore loquuntur aliud, & aliud tacito sub pectore claudunt.

prandia tua constare solent: Cæna enim ex ædibus tuis, scito plusquam Stoico, proscripta iamdudum exulauit.

Quare age adesdum nobis, *Iosephe*, vtq. quid te velim facilius intelligas, verba tua, quibus non Medicos modò, sed Collegas etiã istos tuos, Criticos dico, magnificè confutas, hoc est, ante victoriam triumphum agis, mecum hic recognosce. Scribis in cõmentariis in Propert. lib. 4. Eleg. 31.

Terq. lauet nostras spica cilissa comas) Et Ouid.

Et sonet accensis spica cilissa focis.

Iam comitia Criticorum conuenerunt, vtrum de Croco an de Nardo hic intelligendum esset. Et tandem de Nardo & prærogatiua & iure vocata suffragium tulerunt. Sed ego eorum magistratus vitio creatos obseruaui. Itaque eorum nullam rationem habendam censeo.

Quis *Deus* tibi (vt Catulli tui verbis vtar) *non bene aduocatus, Vecordem parat excitare rixam?*

Ne tibi regnandi veniat tam dira cupido.

Cum Criticis tibi res est. An figulo molestus est figulus? Næ isti Critici insolentes fuerunt, malamq. rem sibi quæsiuerunt, qui sine Imperatore suo comitia agere & inconsultu tuo, de nardo suffragium, excluso croco, ferre ausi fuerint. Neque adeò tu immeritò vitium in ipsis obseruas, & quorum vlla habenda sit ratio, dignos negas; Verum enim quoniam, vt Catullus tuus loquitur, *Non satis est istuc vno te dicere verbo,* Subiungis: *Nam si apud Ouidium Spica Cilissa est Crocus erit & hic apud Amerinum nostrum. Quod enim de nardo intelligi non possit, fidem fecerit, quod nardus Cilicia spicam non habet.*

Saluus sum philosophari incipis. Si apud Ouidium Spica Cilissa est Crocus, & hic erit: benè habet. Et si apud Ouidium Spica Cilissa non est Crocus, nunquid causę dices, quin neque hic sit? At quibus tu id argumentis concludis? Certè vel nullis vel friuolis, tuaq. ista sapientia minimè dignis. Vt enim tibi quod falsissimum est, temporis causa largiar, ac concedam, Spicam Cilissam apud Ouidium Crocum esse, an continuò & apud Propertium

erit

erit? Si enim tu mihi concedas,

Quod tibi posterius largo sermone probabo,

Nardum quandam Ciliciam esse, & Spicam vocari,& ego tibi dem Crocum Spicam dici & in Cilicia nasci, an non vtrimq. Spicam Cilissam habebis? quarum alteram celebret suo versu Propertius, Ouidius alteram. Sed Nardus Cilicia Spicam non habet, inquis; nequit ergò Spica à Poeta appellari. Hic mihi videris non ex veritatis præscripto,sed ad ostentationē philosophari. Nā nec Crocus Spicam habet, quod tu tamen paulo post ais,ego nego; aut si Spicam habet, longè iam meliore ratione in Nardo Ciliciā radices Spicæ vocabuntur. Si namque bulbuli croci tibi spicæ sunt ad allij nucleorum similitudinem,quid hæsitas radices Ciliciæ Nardi, radicibus Asphodeli,Dioscoridis sententia, similes,spicas vocitare? Audi Patrem tuum ex cuius commentario in 1.de Caus. Plantarum Theophrasti cap. 4 tu ea quæ de Spica postea adducis exscripsisti (*Turpe est Seni ex commentario sapere*, ait Seneca, minimè turpe ex commentario paterno, si te audimus) vbi cum Theophrastus dixisset, magnum atque compressum non æque passibile esse, neque ad germinandum propensum, qua de causa diuidere nos allia in nucleos solere, quando terræ,vt germinent, insigimus,subiicit pater: *γίγλιθας nucleos interpretatus est, Plinius ita vocat Spicas. Spica autem dicta, quia in mucronem desinunt, vnde inspicari & spiculum*. Hic (vt veluti Parergon hoc addam,) pater tuus miserè labitur, quod quasi interpretem reprehendit,quod non spicas verterit cum Plinio: Cum tamen is ipse Plinius lib.19.c.6. Natural.Hist.cum allij cōsiderationem instituisset,scribat: *Allium ad multa, ruris præcipuè medicamenta prodesse creditur. Tenuissimis & quæ separantur in vniuersum velatur membranis,mox pluribus coagmētatur nucleis, & his separatim vestitis.* Vbi de Spicis ne gry quidem,vti nec in aliis Plinianis locis. Audaciæ igitur suę pœnas nobis dabit. Habes tamen pro te M. Catonem vnico in loco,& Columellam,qui Spicas in allio vocarunt, rationē huius appellationis sup-

pedi-

peditat tibi Pater tuus; *quia in mucronem desinunt*, inquit. Certe Asphodelo seu hastulæ regiæ, vt Dioscorides delineat, radices subiacent oblongæ, rotundæ glandibus similes, quas si vnquam conspexisti, multo magis spicis frumentaceis similes (oblongiores enim sunt) mecum existimabis, quam illas allij capitum particulas. Nunc autem fidem tuam testor, quæ allij cum croci bulbo similitudo? hanc ego nondum reperi, neque in Vaticano nostro Horto, neque apud Hericum Coruinum meum, hominem Batauum, pharmacopœum solertissimũ, & cognitione atque vsu herbarum πολλῶν ἀγλάξων ἄλλων, qui tam exoticis quam nostratibus plantis Hortum hic abundantissimè ornatum instructumq. habet. Si enim integram croci radicem spectes, iam bulbi omnes spicæ appellabuntur.

Verte omnes te te in facies & collige quicquid
Siue animis siue arte vales.——

Comitia nunc Criticorum, cum voles conuoca, simulq. exquirite bulbos & omnes cæpas, an præter allij spicas apud antiquos auctores hoc nomine bulbos indigitatos vspiam inueniatis. Sin autem radiculas, quæ ad latera sæpius, si quando luxuriat bulbus, adnascuntur, cum nucleis alliorum compares, quid tandem simile? Cum in croco omnes per se radices iam non amplius soboles, sed matres, sua singulæ folia & flores demum emittant, quod nullo modo in allio coniuncto solet euenire. *Quæ verò* (scilicet plantę) *transferuntur* (inquit Pater tuus loco paulo prius laudato) *aut simul cum caudice panguntur, vt stolones, aut sine stipite nuda radix, vt fit in arundine. Hoc quoque non vno modo. Namque aut oportet integram esse radicem, vt rapi, cyclamini, croci, aut non refert totane an pars defodiatur. Quin partes hæ non vno modo. Quippe aut mutila vt asparagi, aut integra, vt allij spica.* Hæc ille. Sed scin' quid suspicer? Idem huiusmodi Criticis vsu venire, quod Plato ex Stesichori sententia Troianis scribit, eos scilicet veræ ignaros Helenę de imagine ipsius decertasse: Non aliter certè eos, qui plus quam satis fit, de verbis satagunt, effugere res ipsę solent,

lent, vt in tenebris Andabatarum more, ac tantum non de Asini vmbra digladientur. Alia hic de nardo non inutiliter addantur, sed ea differre in locum commodiorem præstat, *ne vel nimis persequamur festinando, vel diutius euagemur persequendo*. Pergis tu.

Quod autem in ara crocus incenderetur, id verò testatur Tertullianus libro de Cultu Mulierum: Croçum capiti mulier Christiana ingerit vt in aram, quodcunq. enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis & necessariis vsibus adhibeatur. *En locupletem auctorem qui omnem euictionem præstet.*

Væ mihi! *qui quoties quid rerum vestrarum degusto, crudos mihi fungos comesse videor, & acerba mala, & si quis alius strangulat cibus*. Quid verò si tibi vltrò demus, Crocum in ara incendi solitum, quo rationis momento nos coges, vt Crocum esse Spicam Cilissam credamus? quod si hoc amplius id quoque tibi demus, qua fronte Nardum nostram etiam Spicam Cilissam esse pernegabis? An non vides diuersos auctores, diuersis vsibus res diuersas posse applicare? quorum alter sacra, alter conuiuia celebrat. Aut igitur solum bulbum croci cum allij nucleis, aut omnes omninò bulbos Spicas debere appellari, vt in sequentibus significas verbis, dicere necessum habes. Primùm apud nullum vnquam demonstrabis idoneum & locupletem auctorem, nisi tibi patrocinetur Hercules Ciofanus Ouidij ille Commentator, qui hæc pro te: Et *sonet accensis &c.*

Antonius Fanensis hoc loco & Iosephus Scaliger in Propert. lib. IV. per Spicam Cilissam crocum debere intelligi rectè admonent, contra Pauli Marsi opinionem. Confirmat & hanc, quam ego quoque probaui, opinionem Ouidius ipse in Ibin, vbi ita est:

Quotue ferat dicam terra Cilissa crocos.

Egregium sanè Dialecticum (*sanè isti Critici inter se congruunt concorditer*) Crocus nascitur in Cilicia, ergò Spica Cilicia est Crocus. Sed bene factum, *vt similes habeant labra lactucas*. Sin autem omnes bulbi spicæ sunt, an tibi Narcissus, an Hyacinthus non est bulbus? an non hic etiã

in Ci-

in Ciliciam, in qua sponte, & vbique locorum, vt omnes fatentur nascitur? Cur igitur spicæ nomine, non dicam Cilissæ apud poetas non insigniuntur? Audi Cynthiam conquerentem apud Propertium:

Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos
Iniicere, & fracto busta piare cado.

Sed omittamus has Criticas nugas, nemini enim nisi alii cui ex tuis istis discipulis forsan has nostras bulbaceas spicas probabimus. Hoc interim firmiter tibi persuade, hoc in loco per Spicam Cilissam non nisi Nardum intelligi, sic præter plurimos alios Beroaldus ille tuorum poetarum commentator sentit, cui si tu non vsque adeò amicus es, considerandum primo tibi erat illud Clementis Alexandrini: *Non propter eum qui dicit sunt imperitè ea priùs damnanda, quæ dicuntur, sed sunt consideranda quæ dicuntur an veritati cohæreant*. Quamuis & ego in eorum censu nomen meum profiteor, qui sunt vt ait Poeta:

Nullius addicti iurare in verba Magistri.

Possum innumera proferre quæ causæ meæ fauent; Sed vereor, *ne dum satis rem probare conor, historiam texisse videar.*

Τοι γὰρ ἐγώ τοι ταῦτα μάλ' ἀτρεκέως καταλέξω.

Enimuerò; ego tibi hæc valde verè enarrabo.

Quantum studuerit Antiquitas odoriferis vnguentis, vel Plinius nos docet Procemio suo lib. 13. Hist. Natur. *Hactenus in odoribus habent pretia syluæ*, inquit, *erantq. per se mira singula iuuitq. luxuriam ea omnia miscere, & è cunctis vnum odorem facere, ita reperta sunt vnguenta*. Quod longè ante ipsum docuit nos Theophrastus lib. 9. Histor. Plantar. cap. 7. Et plurima hac de re sunt loca auctorum vt videre potes, lib. 4. de Natura vinorum & Conuiuiis Antiquorum *Andreæ Baccij* viri optimè de Philosophia Naturali, Medicina & Antiquitate meriti, cui ego ante hos septem annos è vita excedenti in hac Romana Academia Professor successi. Inter vnguenta autem pretiosissima narratur fuisse Nardinum & Spicatum, ita vt Nardi Spica in Regale etiam vnguentum ingrederetur. Conficiebatur & Crocinum non eo inficias, sed vt idem monet Plinius, minus

suaue & Medicinæ magis vtile. Et cap. 3. eiusdem libri, *In M.* inquit, *Ciceronis monumentis inuenitur, vnguenta gratiora esse, quæ terram, quam quæ Crocum sapiunt.* Nam Antiquos certum est, (vt ex eiusdem loci Pliniani verbis colligitur, *quod spissitudo vnguenti delectet multos, linique etiam non perfundi tantum voluerint*) Capillos vnguentis sibi irrorasse, vnde Propert. lib. 2.

Nequicquam perfusa meis vnguenta capillis.

Et Tibullus lib. 1.

Illius è nitido stillent vnguenta capillo.

Quod si Plinium legisti cap. 1. huius libri, iam mihi manus dabis ac fateberis in capite, delitiarum non Medicinæ causa, perfundendo, (cum Amerinus noster de conuiuio agat, quamuis si eos qui genio indulgebant suæ simul sanitatis rationem habere voluisse pertendas, non inferiorem locum mereatur oleum spicatum, quod teste Galeno 1. de Compositione secundum loca, ad defluuium capillorum vtile predicatur) nullum crocini vsum fuisse, præsertim cum hoc capillos tingeret pingeretque; non tam ex se ipso, quam quod Cinnabaris ipsi addebatur. Et idem ipse Plinius cum quę quibus in locis vnguēta in pretio haberi solerent demonstrasset, nō Romę, sed in terris Cilicię, postea Rhodi tantum laudatum olim fuisse crocinum testatur. Et quid est ꝙ adeò tibi Nardus displicet? an ingratus odor? Ausculta patrē tuū. 2. de caus. plant. c. 2. *Qui vulgaris Nardi*, inquit, (nedum Indicæ) *detestantur odorem, digni sunt quorum olfactui subijciatur, nolo ineptire.* Pręstat igitur, & odore & colore nardinum crocino, hoc enim illi pręponere

Id mihi cum vanum, tum delirum esse videtur.

Quod vel à Tibullo laudatur:

Illius è puro destillent tempore nardo

Et extremo libro tertio.

Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo.

Vbi *Syrio* pro *Tyrio* velim legas, quod tibi alio in loco reponendum putanti non difficulter assentior libro nempe 3. Eleg. 4. quanquā interpretatio istic tua controuersi adhuc

huc iuris est. Tu enim per Syrium rorem *Malabathrum* exponis Horatiani scilicet versiculi auctoritate inductus, quæ tamen tanta non est, vt Malabathro potius quam Nardo apud Tibullum locum faciat. Nam & Dioscorides Syriam Nardi Indicę speciem laudat & montanam Nardum, quę ab aliquibus Thylacitis vocatur in Cilicia & Syria nasci affirmat, vndè non omninò abhorrentem, & ineptam coniecturam ducit Beroaldus, cum credit Plinium quod Nardi Cilicię non meminerit, eam sub Syriacę nomine describere voluisse. Et Martalis in Xeniis:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere Nardo.

En verè locupletem auctorem qui omnem euictionem præstet. Sed neque Galenus nobis indictus abibit, quem si legisses, iam primas Nardino vnguento dedisses, vel ex hoc solo eius loco 1. de compos. sec. loca cap. 5. Vbi cum multa recensuisset medicamenta, quę vnguentis odorem conciliant, concludit demum: *Si quis pro diuitibus velit ea parare inijciendam esse Nardum Indicam: Celticam & Montanam.* Crocus contra quam incommodè capitis lotionibus aut linimentis, pręsertim deliciarum gratia addatur, idem tibi Galenus affirmat qui 2. de compos. sec. loca diligenter monet in Hieram siue Picram medicamentum expurgando stomacho vtile Crocum *moderatè* esse coniiciēdum, quod quidam ex eius vsu capite lędantur, quod ipsum sæpè ex solo croci odore perpetiamur: Etiam mentem eo perturbari tradit. Perungebant vnguentis itaq. conuiuantes frontem, tempora & capillos, vt maiorem inuicem inirent ex ea suaueolentia gratiam. Vnde & à CHRISTO Domino encomium hoc meretur Maria Magdalena, *quod bonum opus esset operata, cum in caput Seruatoris sui effunderet Alabastrum Vnguenti Nardi pretiosi, quo tota odore domus implebatur.*

Sed quid vetat quin iam vice versa sic argumentemur? Apud Amerinum nostrum Spica Cilissa est Nardus, ergò & apud Ouidium. Verum enimverò Amerinus comas lauat, Ouidius igni dat pabulum. Sed nihilominus plana

sunt. Idem Amerinus non procul ab eo qui nobis controuersus est loco hęc habet:

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti,
Cur Nardo flamma non oluere mea?

Vnguenta enim funeribus & rogis iniici solita testatur Plinius. Ouidium etiam loqui, non de Croci floribus, sed de ipso nardino vnguento, hinc disce quod ait: *Et sonet accensis*, &c. Sonant enim & olea & vnguenta ac strident in flammas iniecta aut infusa.

Quin in Croco (sequeris in tuo commentariolo) *Spica vocatur id quod in allio: quamquam non id cremari solere certus sum, sed* συνεκδοχικῶς *ita totum crocum vocatur. Iam Nardi Ciliciae nulla spica, sed Indica, & serò vt puto in Indico spica vocatum est id; quod radix est verius quam spica. Idq. Latinum potius est, quam Graecum, bulbos radicum spicam vocare: quare puto in eo Graecos sequutos esse Latinorum idioma. Nam sanè tali nulla est spica aut bulbus Nardi Cilissae: quae eiusmodi erat vt propter breuitatem in fasciculos colligi aut constringi non posset, sed in sacculos congerebatur. quo nomine dicta* θυλακῖτις, *Nicander Alexipharmacis.*

Ἀλλὰ σὺ πολλάκι μὲν σταδίην εὐανθέα νάρδον
Ῥίζαδα θυλακόεσσαν ὅπη ζώοι τμώξεις Κιλίσσας,
Πρηόνες ἀλδαίνοντι περὶ πλημμυρίδα χεῖρα.

θυλακόεσσαν *intelligit hoc est* κιλίσσαν, *&, vt Dioscorides vocat* ὀρείνην. *Quare diligenter hoc considerandum atque obseruandum: Spicam Cilissam hic esse bulbum croci, quamquam pro Croco ipso accipitur, vt spicam nardi esse bulbum nardi Indicae. Graeci quidem* νάρδου στάχυν *dicunt, sed non* κρόκου στάχυν, *neque* σκορόδου στάχυν. *Quare apparet vt dixi, imitatione Latinorũ Seplasiarios Capuae, & eos secutos omnes Graecos id spicam dixisse. Contra* στάχυς *Graecis est, quicquid nucamenti modo compactum mucronato fastigio semen inclusum gerit, quod praecipuum in frugibus cerealibus, à quarum similitudine Graeci* ῥιζίσιμον *in Thymo, Stachade & similibus* στάχυν *donant.*

Quid ni Sophoclæis hic verbis exclamem.

Ὦ πολλὰ λέξας ἀρτίως κἀκόμπ' ἔπη.

O quam multa iam ac stulta verba effudisti.

Sed rectè Tertullianus: *Cæcitatis species duæ facile concurrunt, vt qui non vident ea quæ sunt: videre videantur quæ non sunt*. Quarum hęc tibi contingit in Croco, illa in Nardo. In croco, ais, spica vocatur idem quod in allio. At tu

Auius à vera longè ratione vagaris.

quo enim id nobis idoneo teste probas? Ouidio, inquis, apud quem crocus spica vocatur.

Et sonet accensis spica cilissa focis.

Sed hoc domi meę est principiũ petere, vt scholę loquũtur, hoc ipsum enim est, quod quęstionem controuersiamq. facit. Et quasi re pręclarè & ex sententia abs te gesta defunctus fueris, iam appellationis etiam originem indagas, eamq. à Latinis deriuas, qui bulbos radicum primi spicas vocarunt: horum imitatione, inquis Seplasiarij Capuę, eosq. secuti Gręci omnes, bulbos spicam dixere. Qui verò sunt isti Gręci, & qui sunt hi Latini? Dioscoridem dices, M. Catonem & Columellam. Hic vnicus Græcus, & duo Latini: quos tu singulos ferme multiplicas. Quod enim hic forsitan velis Plinium adducere, meminisse potes, quam malè hęc patri tuo res cesserit idem tentanti: Cum Plinius nullos bulbos, ac ne allij quidem, spicas vocet. Refer nobis, si potes, tot illos pręter Dioscoridem Gręcos. Nę tu mihi videris ille apud Athenęum Didymus Grammaticus βιβλιολάθας dictus, id est suorum librorum oblitus: qui cũ modò scribas Gręcos quidem dicere νάρδου στάχυν sed non κρόκου στάχυν, neque σκορόδου στάχυν, modò tamen affirmas Græcos Latinorum idioma secutos, dum bulbos spicas appellant. Si enim ipse tu fateris, neque allij nucleos, neque croci tui bulbum, ab vllo Gręcorũ spicam vocari, quid est quod nobis velis posthac persuadere nostris tantum mandragorę oculis offusum, vt non habeamus compertum quam insigniter nugeris? Et vt semel dicam solas Nardi partes Dioscorides στάχυν hoc est spicas vocat, in allij radicibus ex multa sectili sobole cõpactis ῥᾶγας & ἀγλίθας. Theophrastus γέλγεις. Plinius Nucleos, Columella & Cato spicas,

cas, Græci item ὄνυχας & σκιλλίδας hos eosdem vocant. Quare desine nobis posthac imponere, & per me quidem illuc vnde malum pedem attulisti, cum croco tuo discedere, operamq. te lusisse existimare potes.

Age nunc alteram illam tuę cęcitatis speciem itidem detegamus, & nisi Medicinam omnem respuis, persanemus etiam; siquidē Nardus nobis pertractanda à Galeno olim ad ocularia medicamenta mirè celebrata est. Multa respondere possem ad hunc sermonem, si mihi concedas. Sed infinitum est de omnibus disputare quę nimis longum est etiam sine disputatione enumerare. Erit tamen aliquando (superis annuentibus) locus & tempus non modo de Nardo, sed quamplurimis aliis plantis, ex Dioscoride, Theophrasto & Plinio, tam Vaticanorum Codicum opera, quam propria experientia, & iudicio, emendatiora, quam in vulgaribus codicibus leguntur, loca afferendi. Nunc hoc vnum meminisse hic operæ pretium fuerit, cum Dioscoride & Galeno & Recentioribus plerisq. tres præcipuas Nardi species describi: Indicam, Celticam, & Montanam. Montana autem in Cilicia & Syria nascitur. Repeto quod dixi. *Non enim nocet bis dicere, quod benè dicitur,* vt Plato ait: Syriam vocari tum montanam, tum secundam illam speciem Indicæ, quarum vtraq. ob odoris gratiam commendatur. Hanc ego Montanam & Ciliciam Nardum per spicam Cilissam à poeta intellectam tibi narro. Sed nardi, ais, Ciliciæ nulla spica est, verum Indicæ, quę & ipsa verius radix est, quam spica. Nec nihil, nec omnia dicis Iosephe, sed qualemcunq. benè dicti gratiam mox sequentes errores omnem effundunt, qui ferè tot sunt, quot voces. Etenim dum probare conaris in Cilicia nullam talem spicam esse, qualem in Indica, bulbum videlicet; rationem hanc affers, quod tam breuis sit, vt in fasciculos constringi nequeat, sed in sacculos debeat congeri, vnde Thylacitis vocetur. Quod si de tota hac planta, vt verba tua sonare videntur, tibi sermo est, iam tibi Dioscorides depingit caulem & folia in hac nardo instar Eryn

gij,

gij, & dubitas adhuc an in fasciculos queat colligi? Sin de sola radice: Graciliores has dicit illis in asphodelo, quæ reuera sunt longæ & teretes, vt connecti non ita difficulter possint. Sed demus tibi etiam hoc ipsum, an ideò allij nuclei tibi spicæ non vocantur, quia in fasciculos non possunt stringi, sed in sacculis reseruantur? Et Indica Nardus, nobis dissoluta, Celtica in manipulos coacta adfertur. *Vide mi Scaliger in quos anfractus te ipse induas.*

Falsum est igitur ideò, quod in sacculos colligatur, Thylacitim dictam esse. Non quod nesciam θυλάκιον καὶ θύλαξ loculum aut sacculum significare: Sed quia longè alia ratio huius in Nardo Etymologiæ est, quam illa quę tibi probatur: quam si tu hactenus, vt credi potest, ignorasti,

Disce, sed ira cadat naso rugosaq. sanna,

disce inquam modo ex Scholiographis Nicandri, Grammaticis illis, quorum Scholia in Homerum antiquissima, in Sophoclem Aeschylum & Pindarum exstant. Hunc ego in gratiam studiosorum rei herbariæ & pharmaceutices Poetæ locum tribus vt aiunt verbis, clariorem dabo. Cum Nicander loco citato de Alexipharmacis monuisset, non esse obliuioni tradēdam potionem illam ex Pharico (cuius veneni etiam Plinius meminit lib. 28. c. 10.) maxillis grauem dolorem inferentem, quinimo trementes & insipientes reddentem, & vnica demum die occidentem, vt quæ gustu nardo non absimilis sit, subiicit statim eius veneni Alexipharmacum in his versibus superius laudatis.

Sed tu sæpè ad mensuram benefloridam nardi
Radicem sacculosam exhibe, quam etiam Cilissi
Montes gignunt, circa inundationem Cestri.

Vbi nullum est dubium, quin montanam illam nardum spicam Cilissam nobis vocatam Poeta describat, quæ circa Cestri fluminis eosdem montes præfluentis inundationem, vigorem acquirit, quam quidem vult exhibendam ταδὴν hoc est ad mensuram & proportionem vt habent commentarij. Audiamus hos Grammaticos an tecum sentiant; Hoc illi modo. θυλακόεσσαν explicant: καὶ θυλακόεσσαν τὴν ἐμφερῆ θυλάκῳ

θυλάκῳ σχηματίζεται δὲ εἶπεν ἀπὸ τῆς ῥίζης. Τοιαύτη γὰρ αὕτη ἡ τῆς νάρδου ῥίζα θυλακώδης τῷ εἴδει. Sacculosam; inquiunt, *quæ* [illegible] (similis) *sacculis. Figuratè verò dixit, ex radice, talis enim hæc nardi radix sacculosa ipsa forma.*

Hæc confer cum tuo commento,

Quod procul à vera nimis est ratione repulsum.

Succensebis mihi, quod illis tamen Grammaticis, quam tibi fidem adhibeam pleniorem: sed non est vt malè te hoc habeat, si perpendas cũ animo tuo Græcos eos Scholiographos vocum illarum Græcanicarum vim melius pernouisse, & sæpius procul dubio eandem radicem spectasse, quod enim Pater olim tuus Cardano suo, hoc ego tibi meritò exprobrare possum: *Vbi Tu nardum montanum vidisti Dioscoridæ? qui nunquam in Cilicia aut Syria fuisses. At ibi tantum nascitur, neque ad vsus nostros exportatur.* Vides vt

Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.

Omnia enim difficilia, cum quis contra naturam suam facit quæ non decent. Non difficilè quidem aliena improbare, sed meliora reponere laboris est. Concludis demum & sententiam fers in hac tua Dictatura Critica.

Quare diligenter hoc considerandum atque obseruandum, Spicam Cilissam hic esse bulbum croci, vt Spicam nardi esse bulbum nardi.

De priore nil dicam, tam friuolum enim est, vt iam cauendum sit, ne id ipsum quod pro vtilitate studiosorum dicitur, incommodum eorum, dum diutius detinentur, esse videatur.

Quis verò te Rhizotomus docuit spicam Nardi Indicæ bulbum esse? bulbaceam saltem dixisses, leuius hoc ferri potuisset. Sed

——me rides & nimis vncis
Naribus indulges,

quasi bulbum & bulbaceum esse multum differant. Audi me quæso: nam

Tibi bene volens suadeo, cõuenit autẽ te bene monentem audire.

τοῦ σοι φρονίσας εὖ λέγω. Τὸ μανθάνειν
δ' ἥδιστον τοῦ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγει.

Bulbos

Bulbos duos tantum proponit nobis Dioscorides lib. 2. cap. 61. & 62. quorum primus esculentus, secundus vomitorius. Horum neuter spica nardi est. Bulbacea verò sunt quæ κεφαλόῤῥιζα à Græcis appellantur, vt Pater tuus Theophrastum interpretatur loco iam dicto vbi ait: *Appellat κεφαλόῤῥιζα Bulbacea, sicut & nos porrum capitatum & allij capita legimus in Fastis apud Ouidium.* Theophrasti verò hęc sunt verba: *Sunt enim quæ tam sponte quam radice sata prouenitit, vt quæ capitata constant radice, atque omnino quibus crassa carnosaq. radix est.* Quod diligenter velim animaduertas. Hinc idem tuus Pater in 1. de caus. plant. cap. 7. *Nam* γλίσχρα, inquit, *gluten est, & in bulbaceis glutinositas, quæ in visco summa est.* Exquire has notas in spica Indica & videbis *te in extremum periculum perductum & planè in acie nouacula constitutum.* Inuenies quidem spicarum agglomeratum cumulum, sed nec carnosum, neque glutinosum, verum pilosum & ipso ferè pumice aridiorem.

Quid tibi ego dicam quod omnes mortales sciunt?

Spica Indica non est dissimilis Algę nostræ marinæ gramineæ, hanc ego cum illa conferens dum superiore proximo anno ad portum maris, Horti nostri Pontificij maritimis plantis adornandi causa, proficiscerer, satis superq. introspexi. Nam & in Nardo Indica pilosa spica, paleaceum folium, similis radix, nec flos nec semen, quod sciam, natali loco & virtutibus distinguuntur. Algam verò nemo bulbum appellauerit, sat scio. Attamen non extra aleam omnino sum. Theoph. siquidem lib. 4. cap. 7. hist. Plant. Algam marinam nostram gramineam, similem dicit quo ad radicem cæpis gethiis, at cæpæ bulbi sunt, vt testatur Cornelius Celsus: *Ex oleribus*, inquit, *Valentiora rapa, napiq. & omnes bulbi, in quibus cæpam quoque & allium numero. Hic*, ne sis solicitus *ego quidem meos oculos habeo, nec rogo vtendos foris.* Respondeo igitur hic institui similitudinem, non quod vtraq. sit bulbosa radix, hoc est, vt declaratum, rotunda, carnosa, & glutinosa, sed quemadmodum cæpa gethya habet suas compactas cæpas, easq.

D oblon-

oblongas potius, quam rotundas & aliquantulum squamosas, sic se rem habere in Alga marina, tu adiunge in Nardo Indica, compactis vtrimq. oblongis spicis, pilosis tamen, ac siccis, minimeq. carnosis. Quid multis? non longè abiicio Theophrast. ipse litem nostram diremerit. Τὸ δὲ γήθυον καλούμενον ἀκέφαλόν τι, καὶ ὥσπερ αὐχένα μακρὸν ἔχει· ὅθεν καὶ ἡ βλάστησις ἄκρα, καὶ ἐπικείρεται πολλάκις ὥσπερ τὸ πράσον· διὸ καὶ σπείρουσιν αὐτό, καὶ οὐ φυτεύουσι. Quæ Plin. ita vertit: *Gethyum penè sine capite est, ceruicis tantum longæ, & ideò totum in fronde, sæpiusq. resecatur vt porrum, ideò & id serunt non deponunt.*

Cur igitur spicam vocarunt veteres ipsam Nardum Indicam? Quia spicæ frumentariæ scilicet similis est, cum instar aristarum habeat suos oblongos pilos, & acuminetur in verticem. Apage igitur cum alliorum tuorum nucleis, quos quia spicas vocarunt Cato & Columella, statim existimas Græcos eosdem secutos propterea etiam spicas nominasse: quod si ita est cur non Dioscorides allij nucleos etiam στάχυς appellat? ad quorum imitationem dicis νάρδον τὴν στάχυν dictam: imo ipsa tua allij spica ad frumentariæ spicæ figuram nomen assumpsit, quamuis tamen huius appellationis rationē assignare te diffidis, pater verò tuus audacter ad eius exemplum hanc interpretatur. Et si vel hoc maximè etiam tibi demus, tamen non omnes bulbi, allij statim nucleis assimilantur.

Verum hoc exaudio adhuc ignotum planè, an radix sit ipsa Nardus Indica, cum doctissimus simul & maximè perspicuus Auicennæ & Mesuæ Commentator Ioannes Costæus in 1. Mesuæ libro velut conceptis verbis iuret, ipsum etiam Galenum nostrum sibi repugnantia scripsisse, quando lib. 9. de Compos. Sec. loca agens de Philonis compositione contendit, Nardum Indicam *verè spicam dici, falsò radicem*. At contra 1. de Antid. *falsò vocari spicam dicit, neque enim esse spicam sed radicem*. Quinimò ignorantiæ cum arguit, quod velit Philonem intellexisse Indicam Nardum, cum ipse Creticam intellexerit, quæ nil sit aliud, quam Phu Dioscoridæ. Sed salua sunt omnia, nec quicquam

pugnæ

pugnæ, si limatius res expendatur. Dubito autem, ne dum Galenum ex hoc periculo libero, in aliud eum neque id leuius coniiciam, veruntamen amica veritas.

In primis igitur vellem nos docuisset Costæus, quare Philo intellexerit potius *Phu* siue nardum Creticum quam Indicum, nisi velit per spicam *phu* esse intelligendum. Spicæ enim non ipsius phu Mesues mentionem facit, in hoc ipso quem Costæus explanat loco, quando Philonis Pharmacum describit. Nam quod fortassis se velit defendere per eandem Galeni explicationem, qui vult, dum hos Philonis versiculos declarat:

Et drachmam dicta falsò radicis ab ipsa
Terra, Pissæo quæ ioue clara manet.

Creticum nardum esse accipiendum *cum fabularum Scriptores tradant Iouem in Dictæo Cretæ monte educatum, occultatum ibidem à matre Rhea, ne & ipse à Patre Saturno deuoraretur. Apposuit autem Ioui Epitheton Pissæi, quemadmodum multi etiam extra poeticam, in communi sermone dicere solent, per Aesculapium Pergamaum, per Dianam Ephesiam, per Delphicum Apollinem, per Vestam Eleusinam.* Iam autem in confesso sit in Creta non nasci nardum, sed phu; id tale non est vt absterreat nos, ne credamus Philonem non voluisse spicam nardi potius quam phu. Et si hoc ipsi etiam Costęo vltrò daremus, Galenum in hoc fuisse deceptum, quod spicam nardi voluerit nasci in Creta, nondum probasset Philonem, Creticum nardum, hoc est vt ipse exponit, *phu* voluisse hic denotare. Nam idem Galenus adhuc magis confirmans Philonem non phu, sed spicam Indicam voluisse exprimere, hoc affert argumenti, *quod ex India ebur efferatur, ex quo statua Iouis in Pissa facta ac formata fuerit.* Addimus nos maiorem huic veritati lucem ex ipsis versiculis desumptam. Cur etenim dicat Philo accipiendam esse *falsò dictam radicem*, siquidem nemo sanæ mentis negauerit, radicem phu adeò veram & esse & dici radicem, vt nec ouum sit magis ouum.

Altera dubitatio maior est an verè radix sit spica Indi-

ca. Galenus hic sibi contraria non statuit, cuius hæc sunt ipsissima verba super Philonis versiculis: *Quin & narat ipsius drachmam vnam conijciendam censet, quam radicem falsò dictam appellat, quandoquidem spica nardi verè nominatur*. Non negat Galenus per hæc verba hanc esse radicem, neque affirmat spicam esse diuersum quid à radice, sed falsò dictam radicem esse à Philone, cum vsus obtinuerit hactenus vt spica vocitetur. De nomine itaque Galeno est quæstio non de re.

Quicquid autem Galenus intellexerit per Nardum Creticum, hoc certo certius est, displicuisse hoc ipsi in Philonis compositione. Cum enim eodem capite rationem adfert ingredientium eorum medicamentorum, hæc de nardo addit: *Est autem non modica concoctoria vis omnium frigidarum affectionum in nardo sita; verum creticum nardum inijcere non oportet*. Cum tamen superius dixisset quod Philo hic nardum Creticam intellexerit, quæ si nil est aliud quam phu Dioscoridis, iam fuit probatum, de phu non esse locutum. Quid igitur, inquis, Nardus indica est Galeno? Radix respondeo. Cui rei argumenta dicam apertissima ex aliis nonnullis Galeni locis. Siquidem 1. de Antid. cap. 14. scribit: *Iubet deinde Andromachus Indicam nardum imponere, quam ex eo quia spicæ figuram imitatur* (per spicam non intelligit allij spicam, nam hanc nunquam στάχυν vocat) *nardi spicam nominarunt quamuis radix sit*. 8. verò de simplicium facult. radicem vocat, dũ eius vires enumerat. Et adhuc clarius 1. de Antid. cap. 15. quando catalogum ponit radicum ad Theriacæ compositionem venientium: *Radices autem*, inquit *hæ sunt Zinziberis, Iridis, Costi, Nardi Indicæ, Nardi Galicæ* &c. Ita vt amplius dubitare nefas sit, Galenum per nardum Indicam, spicam nardi, quæ eidem radix est, intellexisse.

Verum enimuerò hic Præceptori adhærere non possum. Quod enim nos nardi spicam, quia spicam frumentaceam æmulatur, appellamus, non est radix, sed radicis germen, ex radice non fibrosa & cirrosa, qualis depingitur à plerisq.

-risq. & qualem in cępis etiã videre est, quæ tibi fortè causa fuit, vt bulbum hanc vocares; sed è crassiore oblonga & geniculata, transuersaq. quam pollicis crassitie reperi, cui non multum est dissimilis illa, quæ Iridi, arundini, aut algæ nostræ marinæ est, fibrosis tamen hinc inde per terram, capillaribus radiculis dispersis; quæ velut mesaraicæ venæ ex terra ventre communi, ad maiorem truncum, quæ portę cauęq. venę respondent, nutrimentum conuehunt, vbi postquam cor ipsum, quod medium sedet inter radicem & germen, attigit, alteratum vitali aura in germen prorumpit.

In hac autem Indica nardo preter hasce pilosas spicas conglomeratas, & ex diuersis nodis ac quasi radicis coculis erumpentes, adsunt folia etiam & stipulæ paleę similitudine, illa in alga marina etiam reperiuntur, hę absunt, quibus fistulosis cauliculis an flos & semen insideat, me cum ceteris ignorare fateor. Videtur tamen hęc planta ex imperfectioribus vna esse, quę per ipsa radicum genicula se propagat. Spicas autem has etsi radicem ipsam intueri non contingeret, supra terram tamen eminere non negabit, qui eas disrumpendo, in ima earum parte, vbi à radice reuulsę, terram & sabulum solummodò, non etiam per totam spicam videbit inhęrere.

Hoc ita se habere mecum sentiet, qui non oscitanter Dioscoridis caput de Nardo Indica legerit. Quod enim quis afferat eundem Dioscoridem, cum dicit eam debere esse puluere respersam, si bona sit, & si cęnum radicibus hęreat esse auferendum, cum autem pręter ipsas spicas alię nullę nobis vsui sint partes, videntur hę radices esse. Vbi hoc sciendum, duplicem in spicis his puluerem reperiri, vnum ex illis ipsis spicarum pilis situ aut attritu fractis, alterum ex terra ipsa, & illum quandoque toti spicę, hunc verò infernę eius particulę, quæ radici insidebat, imò quę aliqua pars, eaq. abrupta radicis est, inhęrentem. Vterque puluisculus abluendis manibus adhibitus, odorem minimè ingratum reddit. In quem sensum ea à Galeno dicta

1. de

1. de Antid. *In qua cauisse oportet, ne quis, quam lotam vocant nobis vendat, est autem hac nardus qua prius ab vnguentarijs cocta, vt ipsorum mos est, pro integra venditur. Quamobrem Ompham barbara voce dictam emere conuenit, cuius radici terra adhuc annexa si contrectetur, nardi odorem habet.*

Non deerunt quibus plus æquo verbosus ac longus fuisse videar, quos meminisse velim quod rectè ait Quintilianus: *Satius esse aliquid narrationi superesse quam deesse.*

Nunc ad Cilissam spicam hoc est ad caput ipsum totius disputationis accedere tempus monet: de qua vt summatim, quod sentio, complectar, Poetam per Spicam Cilissam, Nardum Ciliciam intellexisse contendo. At *enim nulla in Cilicia nardo spica*: quid tum? nec enim poeta hoc scire tenebatur, qui versuum suorum satagens non ita curiosè herbarum Icones disquirebat, & non raro cum vulgo loqui volebat. Nardus autem quælibet spica vocari solebat; hinc sæpe apud veteres spicam pro nardo in compositionibus legere est, quod mihi iam confirmare non erit difficile. Si enim certùm est, per falsò dictam radicem intelligi spicam, Galenus autem monet per spicam ibi non intelligendum nardum creticum, neque herbam eam montanam, quæ potius herba nardites quam nardus dicitur, hoc sequi necessum est, Galenum hęc voluisse monere, ne quis audito nomine spicæ accipiat aliam præter Indicam, atque ex hoc concludi, omnes tum temporis nardos, etiam non veras, Spicæ nomine à populo abusiuè tamen appellatas. Quid igitur est quod accusemus poetam, si ipse foliorum radicum, germinum ac fructuum non fuit tam exactus inspector, atque fuit bonus poeta? Sed ecce tibi testem plus satis locupletem & exceptione maiorem, Galenum dico, qui omnem litem paucis componit. Is enim licet non raro distinguat has nardos, Indicam vocans spicam Indicam; Celticam sæpe radicem Celticæ, & Ciliciam demum nostram, Nardum montanam: Tamen 1. de Compos. Sec. loca, omnes omninò nardos spicas vocat: *Et si pro diuitibus, inquit parateris* (scilicet vnguenta)

spicam

Spicam nardi Indicam, celticamq. & montanam iniicies.

Aliquod igitur & nos decretum contra pertristem, & acerbum istum Medicorum Censorem & Criticorum Criticum statuamus, & sua pænè verba hoc ei modo reddamus: *Quare diligenter hoc considerandum atque obseruandum, Spicam Cilissam hic non esse bulbum croci, sicut nec pro croco ipso accipitur, vt nec spicam nardi esse bulbum nardi Indica.*

Hæc tu, Iosephe, acri iudicio, quod vellem te tam sæpe facere, quam feliciter posse iudico, perpende.

> ——— *Et si tibi vera videntur,*
> *Dede manus: sin falsa putas accingere contra.*

De Nardo itaque plura iam non addam, ne illud mihi à moroso lectore inculcetur:

> *Maxima de nihilo nascitur historia.*

Ad alteram disputationis huius partem tanto libentius me confero, quanto magis medicos periculosę ignorantię à Scaligero argui hic animaduerto: sed

> *Quo me circumagam qua prima, aut vltima ponam?*

Hanc mihi non iniquus lector veniam dabit, si non rarò verba verbis reddam, cum Scaligero enim mihi res est, quem ex illis esse, *quibus*, vt scribit Quintil. *nullus finis calumniandi, sed cum singulis panè syllabis commorandi, quamuis non debeat quisquam vbi maxima rerum momenta versantur de verbis esse solicitus*; hęc quæ sequuntur eius verba satis declarant.

Dioscoridis sunt verba de Epithymo nondum à quoquam intellecta. Ea ego in gratiam τῶν ὕλης ἰατρικῆς *studiosorum ponam.* Ἐπίθυμον, inquit θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος· ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ κοῦφα οὐραγοὺς ἔχοντα ὡς τρίχας. *Hic diligētissimus vir atque latinitatis obseruantissimus Ioannes Ruellius & se & alios in magnos difficultatum anfractus induit, quum vertit:* Capitula habet tenuia, & leuia, & in eis caudiculas quasi capillamenta. οὐραγοὺς *vertit caudiculas. Dupliciter lapsus est, & quum putat deminutiuum* οὐρὰς *esse* οὐραγοὺς, *& quum putat caudiculas deminutiuum cauda latinè posse deduci. Neque hoc satis. Nam*

quos

θυλάκῳ χρηματίσαι δὲ εἴπεν ἀπὸ τῆς ῥίζης. Τοιαύτη γὰρ αὐτὴ ἡ τῆς νάρδου ῥίζα θυλακώδης τῷ εἴδει. *Sacculosam*; inquiunt, *quæ* [siquulis] *sacculis. Figuratè verò dixit, ex radice, talis enim hæc nardi radix sacculosa ipsa forma.*

Hæc confer cum tuo commento,

Quod procul à vera nimis est ratione repulsum.

Succensebis mihi, quod illis tamen Grammaticis, quam tibi fidem adhibeam pleniorem: sed non est vt malè te hoc habeat, si perpendas cũ animo tuo Græcos eos Scholiographos vocum illarum Græcanicarum vim melius pernouisse, & sæpius procul dubio eandem radicem spectasse, quod enim Pater olim tuus Cardano suo, hoc ego tibi meritò exprobrare possum: *Vbi Tu nardum montanum vidisti Dioscoridæ? qui nunquam in Cilicia aut Syria fuisses. At ibi tantum nascitur, neque ad vsus nostros exportatur.* Vides vt

Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.

Omnia enim difficilia, cum quis contra naturam suam facit quæ non decent. Non difficilè quidem aliena improbare, sed meliora reponere laboris est. Concludis demum & sententiam fers in hac tua Dictatura Critica.

Quare diligenter hoc considerandum atque obseruandum, Spicam Cilissam hic esse bulbum croci, vt Spicam nardi esse bulbum nardi.

De priore nil dicam, tam friuolum enim est, vt iam cauendum sit, ne id ipsum quod pro vtilitate studiosorum dicitur, incommodum eorum, dum diutius detinentur, esse videatur.

Quis verò te Rhizotomus docuit spicam Nardi Indicæ bulbum esse? bulbaceam saltem dixisses, leuius hoc ferri potuisset. Sed

——me rides & nimis vncis
Naribus indulges,

quasi bulbum & bulbaceum esse multum differant. Audi me quæso: nam

Tibi beneuolens suadeo, cõuenit autẽ te bene monentem audire.

εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω. Τὸ μανθάνειν
δ' ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγει.

Bulbos

Bulbos duos tantum proponit nobis Dioscorides lib. 2. cap. 61. & 62. quorum primus esculentus, secundus vomitorius. Horum neuter spica nardi est. Bulbacea verò sunt quæ κεφαλόῤῥιζα à Græcis appellantur, vt Pater tuus Theophrastum interpretatur loco iam dicto vbi ait: *Appellat κεφαλόῤῥιζα Bulbacea, sicut & nos porrum capitatum & allij capita legimus in Fastis apud Ouidium.* Theophrasti verò hęc sunt verba: *Sunt enim quæ tam sponte quam radice sata proueniūt, vt quæ capitata constant radice, atque omnino quibus crassa carnosaq. radix est.* Quod diligenter velim animaduertas. Hinc idem tuus Pater in 1. de caus. plant. cap. 7. *Nam* γλίσχρον, inquit, *gluten est, & in bulbaceis glutinositas, quæ in visco summa est.* Exquire has notas in spica Indica & videbis *te in extremum periculum perductum & planè in acie nouacula constitutum.* Inuenies quidem spicarum agglomeratum cumulum, sed nec carnosum, neque glutinosum, verum pilosum & ipso ferè pumice aridiorem.

Quid tibi ego dicam quod omnes mortales sciunt?

Spica Indica non est dissimilis Algę nostræ marinæ gramineæ, hanc ego cum illa conferens dum superiore proximo anno ad portum maris, Horti nostri Pontificij maritimis plantis adornandi causa, proficiscerer, satis superq. introspexi. Nam & in Nardo Indica pilosa spica, paleaceum folium, similis radix, nec flos nec semen, quod sciam, natali loco & virtutibus distinguuntur. Algam verò nemo bulbum appellauerit, sat scio. Attamen non extra aleam omnino sum. Theoph. siquidem lib. 4. cap. 7. hist. Plant. Algam marinam nostram gramineam, similem dicit quo ad radicem cæpis gethiis, at cæpæ bulbi sunt, vt testatur Cornelius Celsus: *Ex oleribus*, inquit, *Valentiora rapa, napiq. & omnes bulbi, in quibus cæpam quoque & allium numero. Hic*, ne sis solicitus *ego quidem meos oculos habeo, nec rogo vtendos foris.* Respondeo igitur hic institui similitudinem, non quod vtraq. sit bulbosa radix, hoc est, vt declaratum, rotunda, carnosa, & glutinosa, sed quemadmodum cæpa gethya habet suas compactas cæpas, easq.

D oblon-

oblongas potius, quam rotundas & aliquantulum squamosas, sic se rem habere in Alga marina, tu adiunge in Nardo Indica, compactis vtrimq. oblongis spicis, pilosis tamen, ac siccis, minimeq. carnosis. Quid multis? non longè abiero Theophrast. ipse litem nostram diremerit. Τὸ δὲ γήθυον καλούμενον ἀκέφαλόν τι, καὶ ὥσπερ αὐχένα μακρὸν ἔχει ὅθεν καὶ ἡ βλάστησις ἄκρα, καὶ ἐπικείρεται πολλάκις ὥσπερ τὸ πράσον διὸ καὶ σπείρουσιν αὐτὸ, καὶ φυτεύουσι. Quæ Plin. ita vertit: *Gethyum penè sine capite est, ceruicis tantum longæ, & ideò totum in fronde, sæpiusq. resecatur vt porrum, ideò & id serunt non deponunt.*

Cur igitur spicam vocarunt veteres ipsam Nardum Indicam? Quia spicæ frumentariæ scilicet similis est, cum instar aristarum habeat suos oblongos pilos, & acuminetur in verticem. Apage igitur cum alliorum tuorum nucleis, quos quia spicas vocarunt Cato & Columella, statim existimas Græcos eosdem secutos propterea etiam spicas nominasse: quod si ita est cur non Dioscorides allij nucleos etiam στάχυς appellat? ad quorum imitationem dicis νάρδου τὴν στάχυν dictam: imo ipsa tua allij spica ad frumentariæ spicæ figuram nomen assumpsit, quamuis tamen huius appellationis rationē assignare te diffidis, pater verò tuus audacter ad eius exemplum hanc interpretatur. Et si vel hoc maximè etiam tibi demus, tamen non omnes bulbi, allij statim nucleis assimilantur.

Verum hoc exaudio adhuc ignotum planè, an radix sit ipsa Nardus Indica, cum doctissimus simul & maximè perspicuus Auicennæ & Mesuæ Commentator Ioannes Costæus in 1. Mesuæ libro velut conceptis verbis iuret, ipsum etiam Galenum nostrum sibi repugnantia scripsisse, quando lib. 9. de Compos. Sec. loca agens de Philonis compositione contendit, Nardum Indicam *verè spicam dici, falsò radicem*. At contra 1. de Antid. *falsò vocari spicam dicit, neque enim esse spicam sed radicem*. Quinimò ignorantiæ eum arguit, quod velit Philonem intellexisse Indicam Nardum, cum ipse Creticam intellexerit, quæ nil sit aliud, quam Phu Dioscoridæ. Sed salua sunt omnia, nec quicquam

pugnæ

pugnæ, si limatius res expendatur. Dubito autem, ne dum Galenum ex hoc periculo libero, in aliud eum neque id leuius coniiciam, veruntamen amica veritas.

In primis igitur vellem nos docuisset Costæus, quare Philo intellexerit potius *Phu* siue nardum Creticum quam Indicum, nisi velit per spicam *phu* esse intelligendum. Spicæ enim non ipsius phu Mesues mentionem facit, in hoc ipso quem Costæus explanat loco, quando Philonis Pharmacum describit. Nam quod fortassis se velit defendere per eandem Galeni explicationem, qui vult, dum hos Philonis versiculos declarat:

Et drachmam dicta falsò radicis ab ipsa
Terra, Pissæo quæ Ioue clara manet.

Creticum nardum esse accipiendum *cum fabularum Scriptores tradant Iouem in Dictæo Cretæ monte educatum, occultatum ibidem à matre Rhea, ne & ipse à Patre Saturno deuoraretur. Apposuit autem Ioui Epitheton Pissæi, quemadmodum multi etiam extra poeticam, in communi sermone dicere solent, per Aesculapium Pergamaeum, per Dianam Ephesiam, per Delphicum Apollinem, per Vestam Eleusinam.* Iam autem in confesso sit in Creta non nasci nardum, sed phu; id tale non est vt absterreat nos, ne credamus Philonem non voluisse spicam nardi potius quam phu. Et si hoc ipsi etiam Costęo vltrò daremus, Galenum in hoc fuisse deceptum, quod spicam nardi voluerit nasci in Creta, nondum probasset Philonem, Creticum nardum, hoc est vt ipse exponit, *phu* voluisse hic denotare. Nam idem Galenus adhuc magis confirmans Philonem non phu, sed spicam Indicam voluisse exprimere, hoc affert argumenti, *quod ex India ebur efferatur, ex quo statua Iouis in Pissa facta ac formata fuerit.* Addimus nos maiorem huic veritati lucem ex ipsis versiculis desumptam. Cur etenim dicat Philo accipiendam esse *falsò dictam radicem*, siquidem nemo sanæ mentis negauerit, radicem phu adeò veram & esse & dici radicem, vt nec ouum sit magis ouum.

Altera dubitatio maior est an verè radix sit spica Indi-

ca. Galenus hic sibi contraria non statuit, cuius hæc sunt ipsissima verba super Philonis versiculis: *Quin & nardi ipsius drachmam vnam conijciendam censet, quam radicem falsò dictam appellat, quandoquidem spica nardi verè nominatur*. Non negat Galenus per hæc verba hanc esse radicem, neque affirmat spicam esse diuersum quid à radice, sed falsò dictam radicem esse à Philone, cum vsus obtinuerit hactenus vt spica vocitetur. De nomine itaque Galeno est quæstio non de re.

Quicquid autem Galenus intellexerit per Nardum Creticum, hoc certo certius est, displicuisse hoc ipsi in Philonis compositione. Cum enim eodem capite rationem adfert ingredientium eorum medicamentorum, hæc de nardo addit: *Est autem non modica concoctoria vis omnium frigidarum affectionum in nardo sita; verum creticum nardum inijcere non oportet*. Cum tamen superius dixisset quod Philo hic nardum Creticam intellexerit, quæ si nil est aliud quam phu Dioscoridis, iam fuit probatum, de phu non esse locutum. Quid igitur, inquis, Nardus indica est Galeno? Radix respondeo. Cui rei argumenta dicam apertissima ex aliis nonnullis Galeni locis. Siquidem 1. de Antid. cap. 14. scribit: *Iubet deinde Andromachus Indicam nardum imponere, quam ex eo quia spicæ figuram imitatur* (per spicam non intelligit allij spicam, nam hanc nunquam στάχυν vocat) *nardi spicam nominarunt quamuis radix sit*. 8. verò de simplicium facult. radicem vocat, dũ eius vires enumerat. Et adhuc clarius 1. de Antid. cap. 15. quando catalogum ponit radicum ad Theriacæ compositionem venientium: *Radices autem*, inquit *hæ sunt Zinziberis, Iridis, Costi, Nardi Indicæ, Nardi Galicæ* &c. Ita vt amplius dubitare nefas sit, Galenum per nardum Indicam, spicam nardi, quæ eidem radix est, intellexisse.

Verum enimuerò hic Præceptori adhærere non possum. Quod enim nos nardi spicam, quia spicam frumentaceam æmulatur, appellamus, non est radix, sed radicis germen, ex radice non fibrosa & cirrosa, qualis depingitur à plerisq.

-risq. & qualem in cępis etiã videre est, quæ tibi fortè causa fuit, vt bulbum hanc vocares, sed è crassiore oblonga & geniculata, transuersaq. quam pollicis crassitie reperi, cui non multum est dissimilis illa, quæ Iridi, arundini, aut algæ nostræ marinæ est, fibrosis tamen hinc inde per terram, capillaribus radiculis dispersis, quæ velut mesaraicæ venæ ex terra ventre communi, ad maiorem truncum, quæ portę cauęq. venę respondent, nutrimentum conuehunt, vbi postquam cor ipsum, quod medium sedet inter radicem & germen, attigit, alteratum vitali aura in germen prorumpit.

In hac autem Indica nardo prẹter hasce pilosas spicas conglomeratas, & ex diuersis nodis ac quasi radicis corculis erumpentes, adsunt folia etiam & stipulæ paleę similitudine, illa in alga marina etiam reperiuntur, hę absunt, quibus fistulosis cauliculis an flos & semen insideat, me cum ceteris ignorare fateor. Videtur tamen hęc planta ex imperfectioribus vna esse, quę per ipsa radicum genicula se propagat. Spicas autem has etsi radicem ipsam intueri non contingeret, supra terram tamen eminere non negabit, qui eas disrumpendo, in ima earum parte, vbi à radice reuulsę, terram & sabulum solummodo, non etiam per totam spicam videbit inhęrere.

Hoc ita se habere mecum sentiet, qui non oscitanter Dioscoridis caput de Nardo Indica legerit. Quod enim quis afferat eundem Dioscoridem, cum dicit eam debere esse puluere respersam, si bona sit, & si cęnum radicibus hęreat esse auferendum, cum autem prẹter ipsas spicas aliẹ nullẹ nobis vsui sint partes, videntur hę radices esse. Vbi hoc sciendum, duplicem in spicis his puluerem reperiri, vnum ex illis ipsis spicarum pilis situ aut attritu fractis, alterum ex terra ipsa, & illum quandoque toti spicę, hunc verò infernę eius particulę, quà radici insidebat, imò quę aliqua pars, eaq. abrupta radicis est, inhẹrentem. Vterque puluisculus abluendis manibus adhibitus, odorem minimè ingratum reddit. In quem sensum ea à Galeno dicta

1. de

Spicam nardi Indicam, celticamq. & montanam inijcies.

Aliquod igitur & nos decretum contra pertristem, & acerbum istum Medicorum Censorem & Criticorum Criticum statuamus, & sua pænè verba hoc ei modo reddamus: *Quare diligenter hoc considerandum atque obseruandum, Spicam Cilissam hic non esse bulbum croci, sicut nec pro croco ipso accipitur, vt nec spicam nardi esse bulbum nardi Indica.*

Hæc tu, Iosephe, acri iudicio, quod vellem te tam sæpe facere, quam feliciter posse iudico, perpende.

——— Et si tibi vera videntur,
Dede manus: sin falsa putas accingere contra.

De Nardo itaque plura iam non addam, ne illud mihi à moroso lectore inculcetur:

Maxima de nihilo nascitur historia.

Ad alteram disputationis huius partem tanto libentius me confero, quanto magis medicos periculosę ignorantię à Scaligero argui hic animaduerto: sed

Quo me circumagam quæ prima, aut vltima ponam?

Hanc mihi non iniquus lector veniam dabit, si non rarò verba verbis reddam, cum Scaligero enim mihi res est, quem ex illis esse, *quibus*, vt scribit Quintil. *nullus finis calumniandi, sed cum singulis panè syllabis commorandi, quamuis non debeat quisquam vbi maxima rerum momenta versantur de verbis esse solicitus*; hęc quæ sequuntur eius verba satis declarant.

Dioscoridis sunt verba de Epithymo nondum à quoquam intellecta. Ea ego in gratiam τῶν ὕλης ἰατρικῆς *studiosorum ponam.* Ἐπίθυμον, inquit θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος. ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ κοῦφα οὐραγὰς ἔχοντα ὡς τρίχας. *Hic diligētissimus vir atque latinitatis obseruantissimus Ioannes Ruellius & se & alios in magnos difficultatum anfractus induit, quum vertit:* Capitula habet tenuia, & leuia, & in eis caudiculas quasi capillamenta. οὐραγὰς *vertit caudiculas. Dupliciter lapsus est, & quum putat diminutiuum* οὐρᾶς *esse* οὐραγὰς, *& quum putat caudiculas diminutiuum cauda latinè posse deduci. Neque hoc satis. Nam*

quos

Qui Musas colimus seueriores.

Dicat igitur pro caudiculis (quoniam per te non licet vt nonnumquã bonus dormitet Homerus) paruas caudas Ruellius noster. Sed nec οὐραγοὶ has significat, vrges. Ast quem tu nobis ex Græcis auctorem citas, qui tecum hanc vocem hoc significatu repudiare velit. Nec absurdum videatur si dicamus, Dioscoridem hominem Castrensem & bellatorem ad legionem, vti voluisse hac voce, à cauda exercitus ad rei cuiusq. extremum translata significatione, quam mecum coniecturam facit Ferdinandus Imperatus Neapolitanus in literis suis nuper ad me datis, quem rerum naturalium, quas domi suæ publicæ commoditati asseruat, Condum & Promum dicere possis, has qui non vidit, Neapoli nihil vidit. *Satius in loco foret*, mi Iosephe, *discere, quam scribere & libris editis de fama periclitari*. Vehementer enim dubito, ne vnus illorum sis, quos grauiter Quintilianus notat, *qui dum in veteribus libris reperta imperitè immutare solent, & dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur.*

Quod enim ais hæc Dioscoridis verba tot inter Rhizotomos lites feuisse, qui tandem sunt illi, nisi tui similes, *qui omissa rerum (qui nerui sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt?*

Sed ecce fit misericors Iosephus noster, miseretq. iam eorum, qui Dioscoridẽ tractant, & tamen Græcè nesciunt. Scilicet nec sunt, nec fuerunt, nec posthac reliquis erunt in annis, qui Græcè scient, & Dioscoridis mentem sapient. Tu credo, quæ Critica tua est audacia, Græcum idioma vt relictam à patre hęreditatem tibi soli cernendam putas. Sed si me audis

—— *δάμασον δὲ μένος καὶ ἀγήνορα θυμόν.*

Et magnos istos Spiritus contine in pectoribus.

At Dioscorides, ais, *non figuram Epithymi hic nobis proponit, sed thymi illius, qui satureiæ similis est: qui in Cappadocia, & Pamphylia frequentissimus sponte nascitur. Non, inquam, Dioscorides Epithymum describit nobis, neque capillamentum illud*

E quo

quo Thymũ quoque inuolui certum est: & quod ne Plinius ignoraſſe videtur. Sed Thymum ipſum Cappadocem & Pamphylium. In quo multum decepti ſunt iſti immanium commentariorũ conſarcinatores, qui maluerunt pertinaciter verum oppugnare, quam quid vellet Dioſcorides, diligenter penſitare. Sed quid penſitaſſent homines,& Latinè,& Græcè ignari? Quibus id facilè ignoſco, quia & nemo hactenus errorem inſignem in Dioſcoridis verbis deprehendit.

Quod olim Demoſthenes cuidam garrulo, idem ego nunc tibi dictum velim, *ſi tam multa*, inquit, *ſaperes quam multa loqueris, tam multa non loqueris.* Neſcis profectò quanta labores in Charybdi, ex qua tamen mea te opera expeditum iri polliceor.

Dioſcorides, ais, *non Epithymum nobis deſcribit, ſed Thymi illius qui ſatureiæ ſimilis eſt, florem.* Vtrum tu nobis Epithymũ deſcribi negas, Grècumnè an Arabicum? Arabicũ inquies, nam Græcum flos Thymi eſt: Arabicũ illud, capillamentũ. ſed vnde hoc capillamentũ Epithymi nomen accepit? Non à Dioſcoride certũ eſt apud te; igitur ab Actuario, & Paulo Aegineta puto, quibus eadem quæ Arabibus de Epithymo ſententia eſt. Quin & Plinius hoc etiam nouit, vt fateris. Hic quæſo nobis explices, cur veteres iſti poſt Dioſcoridem tam Græci quam Latini idem capillamentum Epithymum appellarint, neque enim ratio eſt dubitare, quin Plinius hiſtoriæ ſuæ potius conſarcinator, quã auctor, ab antiquiore aliquo, aut à vulgo ipſo hoc huius medicamenti nomen acceperit. Doceas igitur nos, ſi aliundè capillamenti huius appellatio, cur præter Dioſcoridem (vt tibi falsò perſuades) nemo vnquam Medicorum tam veterum quàm recentiorum Thymi florem Epithymum tecum nominare voluerit. Quare non tam aſperè erant incuſandi recentiores, quod idem medicamentum eodem Epithymi nomine acceperint, ſic & Arabum & Græcorũ, & Pliniana auctoritate docti. Neque ideo ſunt linguæ Latinæ ac Græcę ignari, ſi *cum tantis ſapere, quam tecum ſuꝛ ere maluerunt.* In quo peccauerint monſtrandus à te error il-

lis

lis erat potius, quando ipſi vt Græca illa Dioſcoridis verba ſonant in Latinum ſermonem verterunt. Nam quod tu alias hic Græcas voces ſubſtituendas exiſtimas, id ne Dioſcorides quidem potuiſſet olfacere, neque enim omnes, vt ipſe tu, vates ſunt, neque artem didicerunt hariolandi. Puto equidem te vnum eſſe Deliacorum, quorum complures Cicero Deli fuiſſe tradit, qui cum ouum inſpexerant, quę id gallina peperiſſet dicere ſolebant.

Sed laudo te quod tandem

—— quietum

Accipis in tales animum mentemq. benignam.

Quando te illis ignoſcere, veniamq. non grauari ſignificas, hominem certe te monſtras quia

Ὀργῆς νοσέσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

Iracundiæ commotæ medetur ratio.

Iam autem te ſolum eſſe illum, qui (ſi ſuperis placet) errores in Dioſcoride poſſis deprehendere

(Οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
Ἀνδράσιν ὔτε φυὴν ὔτ' ἄρ φρένας ἀγορήτυν
Ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει)

Deus non largitur vnus omnia, ſed aliis aliud.

quod id fortaſſis non temere quemquam aſſenſurum metueres, his verbis docere nos conaris.

Nam pro ὐραγοὺς ἔχοντα ὡς τρίχας *legendum, aio,* οὐραχοὺς ἔχοντα ὡς στοιχάς. *Epithymum, inquit, eſt flos è thymo duriore ſatureiæ ſimili capitulis tenuibus, leuibus mucronata cuſpide, quali ſtæchadis. Ita enim vertendum erat. Nam Dioſcoridis Epithymum, neque eſt capillamentum de quo ſupra dixi, neque hic illum niſi de ſpica Thymi agere certum eſt, ſed illius thymi, qui tantum Satureiæ ſimilis eſt. Nam & Thymus* στάχυν *habet, vt fax pharmacopœo-ſcit, & teſtatur Nicander* περὶ γάλακτος ἐμπυτιασθέντος, *quum ait.* ἠὲ νέον βρυόεντα θύμου στάχυν *& ſtœchas ad eius inſtar* στάχυν *habet. Dioſcorides de ſtœchade,* ὁμοίαν ἔχουσα κόμην θύμῳ, *&* αὐτοψία *id docet. Ergo Epithymum Dioſcoridis tãtum capitulum & Spica Thymi durioris eſt, ac Thymbrã referentis. Intelligo Thymbram, quã veteres* κεφαλωτὴν *vocabãt, quia* κεφάλια, *vt hic thymus habet. Serenus:*

Ac Thymbræ ſpeciem quam commemorant Cephaloten.
οὐριαχοὺς igitur vocat ſpicas à ſimilitudine cuſpidum in Sibynis & haſtis, qua Homero & οὐρίαχοὶ & σαυρωτῆρες dicuntur. Eleganter igitur, ait, capitula illa Thymbræ eſſe mucronato faſtigio inſtar cuſpidum, imo ipſa faſtigia cuſpides vocat.

Quid ais tandem, Ioſephe? An tibi illud perpetuo in mente, & in ore?

Sic volo ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

An tibi apud Medicos etiam, non Criticos modò, Dictatoris poteſtatem arrogas? *Sic legendum aio*, inquis. ſcilicet

Cur tibi non liceat iuſſit quodcunq. voluntas?

Hæc certe ſola voluntas tua tantum potuit, vt furcillata germana Dioſcoridis ſcriptura, ea verba, de quibus numquam ei οὐδὲ κατ᾽ ὄναρ in mentem venit, imperiosè ſubſtitueres.

Epithymum eſt flos, inquis, *è thymo duriore Satureia ſimili, capitulis tenuibus, leuibus, mucronata cuſpide quali ſtœchadis.* Hic ne in quo te obiurgo, ipſe imiter, tibique ſimilis euadam, hoc eſt in verbis nuger, breuiter ſic à me accipe. Duplex tu, (vt ego iam paulo antè innui) Epithymum ponis, vnum, vt vno verbo dicam, Arabicum, illud videlicet capillamentum, quod tu neſcio quos pilos, lanam, credo, caprinam vocas, de qua vtinam minus ſæpè, quam facis, rixareris.

Alterum eſt Epithymum Scaligerçum his demum temporibus à te, miſeris homunculis, qui hactenus Dioſcoridẽ non intellexerunt velut diuinum quoddam munus cęlitus allatum: Ipſe nimirum flos thymi durioris. Vt de omni re in quacunq. arte & ſcientia ſententiam tuam feras, hoc *tam in procliui tibi eſt quam imber quando pluit.* Adeo nihil eſt commodius quam ſemper cum ſapientia loqui. Hactenus quidem ego pręter nuda & cruda tua verba nihil accipio, ne tamen omnino temerarius audias, argumentis etiam pugnare incipis.

Nam & Thymus στάχυν habet, ais, *vt fax pharmacopœorum ſcit, & teſtatur Nicander &c.* Hic vt verum fatear me tua

Scripta

Scripta pudet recitare & nugis addere pondus.

Calliſtratus,vt ex Atheneo diſcimus, maledictis inceſſit Ariſtarchum, quod eruditioni, qua preditus erat, veſtis non congrueret,tanquam ad doctrinam comparandam ea nonnihil conferret. Atqui te longè meliore ratione reprehendendum cenſemus, quod eruditioni, qua iam apud multos celebris es (tuo ne merito, an eorum potius errore,aliorũ eſto iudicium) maledicentiam illam tuã,quę philautię tuæ, peruerſę matris peſſima eſt filia, minimè conuenire arbitramur. *Vt fax pharmacopœorum ſcit* inquis; Tu ne vt de arte adeò ingenua,tam diuinę ſcientię, Medicinę nimirum, per quam ſolam parens tuus veſtram Scaligerȩam illuſtrauit domum, operaria & famulatrice, honeſtius loqui neſcieris? *Sed conſuetudo,* vt recte Lucianus, *corrigi nequit, nec ſcarabaus ne ſtercus poſthac voluet, iuſſus vnquam paruerit.*

Verum quæ ſunt illa rationum momenta, quibus Epithymum tuum nobis ſuades, ſed nondum perſuades? Vbi namq. pluribus verbis ingenioſam tuam emendationem concludere videris, idem tibi euenit, quod non raro piſcatoribus, qui cum rete grauari ſentiunt, & magnam adeſſe piſcium copiam putant, ſæpius aut ſaxum, aut vas arena repletum reperiunt. Nam Thymus (ais) habet ſpicam, ergò Epithymum Dioſcoridis tantum capitulum, & ſpica thymi durioris eſt. Hic nolo tecum litigioſus ex Dialectica agere, vt quam ſine ratione concludas demonſtrẽ: Thymus habet ſpicam, ergo Epithymum eſt flos Thymi, hoc enim extra tuos limites eſt, Grammaticam itaque fidem tuam obteſtor, quid tibi mentis fuit, cum non ſolum Dioſcoridis textum contra omnium manuſcriptorum codicum fidem,quos vnquam vidiſti,quibus Vaticanus etiã, longè ille vetuſtiſſimus, notæq. minime vulgaris codex aſſentitur, ne vnius quidem literæ apice à vulgatis diſcrepante, non modo ex libidine tua corrupiſti, ſed nec ſatis etiam Grammaticè, vt te tamen decebat, quid velles explicaſti. Vt tamen tibi iam hęc ipſa eadem concepta à

Dio-

Dioſcoride verba, dicis temporiſq. gratia largiamur, quę tu tibi ex tua libidine effingis, quam bene tamen in tuum Epithymum quadrabunt?

Epithymum, ais, *eſt flos è thymo duriore Satureiæ ſimili.* Hactenus non magna controuerſia, ſed quæ ſequuntur:

Capitulis tenuibus leuibus &c.

non ita ſicco ſunt pede tranſeunda. Nam inprimis amphibologia hic oritur, ad florem ne capitula, an ad floris matrem ipſum thymum potius referenda ſint. Quid nos pro te reſpondere iubes? in biuio enim iam hæres, & neutra ſemita ſua ſine parte pericli eſt.

Ad Thymum dices; non ad eius florem eſſe referenda, ſic enim ſuperius dixeras: *At Dioſcorides non figuram Epithymi hic nobis propoſuit, ſed thymi illius qui Satureiæ ſimilis eſt.* Hic ergò Dioſcoridis verborum ſenſus eſt, vt tu interpretaris. *Epithymum eſt flos è thymo duriore, qui thymus ſatureiæ ſimilis eſt, qui etiam Thymus habet capitula tenuia leuia, mucronata cuſpide inſtar ſtœchadis.* Quaſi tu dicas, & quaſi nemo intelligens tibi credat, aliam nobis à Dioſcoride thymi ſpeciem deſcribi, durioris nempè, cum illis capitulis, cuius flos Epithymum vocetur.

Sed quantum hic hallucineris mi Scaliger, celare te non poſſum. Quod ſi ego nunc Medicum exuam, & Grammaticum induam: Equidem

Non tam certandi cupidus, quam propter amorem,

quo nutriculam meam Medicinam proſequor, facere id videri debeo, vt animaduertant tui aſſeclæ, qui iam de Medicis triumpharunt, neque adeò te felicem eſſe, in ea in qua natus & enutritus iam conſenuiſti Grammatica arte, vt non in rebus etiam, non ita magni momenti, ne dicam grauioribus, turpiter offendas,

Et grauiter magno magnus labare ibi caſu.

Hic rogandus mihi beneuolus Lector, vt meā boni conſulat interpretationem, quæ ſi eloquentiæ colorem minus præferet, veritatis certè luce non carebit.

Ἐπίθυμον δὲ θύμου ἐστὶν ἄνθος, τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος.

Hoc

Hoc est: *Epithymum est flos Thymi durioris similis Thymbræ, qui* (scilicet Thymus) *est similis Thymbræ.*

Ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ κοῦφα οὐραγὰς ἔχοντα ὡς τρίχας.

Idest: *habet verò* (non thymus, sed flos ille seu Epithymum) *capita tenuia, leuia, habentia paruas caudas instar pilorum. Habentia* enim ad *capitula* refertur non ad plantam totam, vt tu ambiguè conuertis. Quare negare amplius non potes, non admodum bona fide in hoc loco transferendo te vsum esse, quandoquidem hæc verba: *capitulis tenuibus* &c. non tam ad florem quam ad thymum referri possunt, quod facilè imponit illis, quos tibi hic optasses lectoribus, qui græcè & latinè non admodum scirent, qui quidem secundum Aristotelis dictum *ignorantia sibi conscij eos admirantur qui magnum quid ac supra vires suas referunt.* Sed tibi tamen viro prudenti alioquin hæc non debebant excidere, nisi fortassis idem tibi quod illis, vt Quintilianus habet, euenire solet, *quibus omnia sua dum nascuntur placent, alioquin nec scriberentur.*

Sed tempus monet, vt rem ipsam potius quam verba prosequamur. Lubet hic auctoritates adducere grauissimorum quorūdam scriptorum, vt qui hæc lecturi sunt herbarum seduli indagatores, non me propria stimulatum voluntate, multo minus vesano quodam contradicendi ardore hæc tibi reposuisse intelligant.

Scribit Mesues meus *Epithymum esse ex herbis supercrescentibus alijs herbis, & esse simile cuscutæ, & quod planta quibus supercrescit sint Alkil, & Alhasce & quædam species Origani.* Vbi per Alkil, & Alhasce intelligit Thymum, ac thymbram. Quinimo apud Paulum, Aetium, & Actuarium hæc res adeo nota est, vt etiam diuersa capillamentis illis, pro vt in diuersis reperiuntur plantis, nomina indiderint, vt Epithymi, Epithymbri, Epistæbes, pro vt in thymo thymbra, ac stæbe nutritur hæc planta.

Iam si Galenum audias, is omnibus in locis, quibus de Epithymo ipsi sermo est, de facultate purgatrice eius mentionem facit, vt 6. de tuenda sanitate cap. 7. suadet illis

quibus

quibus corrumpitur cibus, & non descendit, vt vtantur Cnico, & Epithymo pro deiectione. 13. Methodi cap. 15. in inflammatione iecoris per aluum vacuat, si cauum eius afficiatur cibis admisto Epithymo. Et 2. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 5. *Tametsi ignorant*, inquit (loquitur autem de Empiricis) *quamobrem veratrum album sursum purget, nigrum deorsum detrahat, neque compertum habent, quare Cnicus pituitam ducat, atram verò bilem Epithymum, tamen medicamentis ad ea vtuntur, ad quæ vtenda vsus docuit*. De Theriaca ad Pisonem demum eandem sententiam quod melancholiam purget Epithymum, ingenuè fatetur.

Sed respondes, nondum à me probatum esse, Galenum aliud, quam Scaligeræum tuum, vel vt tibi fingis, Dioscoridis Epithymum intellexisse: florem videlicet durioris thymi. Et vt te magis aduersus me defendere possis, ecce vltrò tibi à me arma: Galenus 6. de simplicium Medicam. facultatibus. *Epithymum*, ait, *thymi facultatem habet ad omnia efficacius*. Flos igitur thymi fuerit necesse est. Sed valde dubito, ne hoc ipsum in tuum præiudicium sit dictum. Dic mihi, si Epithymum flos thymi est, qui fit vt Galenus totius thymi plantæ virtutes enarrans, de purgatrice facultate nihil quicquam meminerit? Nam 3. de Temperamentis cap. 4. recenset thymbram & thymum inter medicamenta & alimenta. Et 2. de alim. facult. cap. 45. *videmusq.* ait, *homines ferè omnia eiusmodi obsoniorum, non alimentorum vice esitare, quemadmodum etiam interdum porrum mandunt, & pulegium & thymum & alia id genus*. Eodem libro cap. 70. recenset thymum, satureiam, pulegium, serpillum &c. inter obsonia sponte nata. Et vt ad pauca redeam, vbiq. attribuit ipsi facultatem vrinam, menses & fœtus prouocandi, viscera & thoracem expurgandi, numquam verò ventrem soluendi. Sed instas: Galenus non de floribus, verum de folijs fortassis loquitur. Et hic est nodus soluendus. Accipe hæc igitur & tace. Galenus 4. de Tuenda sanit. cap. 5. *Debet autem si haberi*

beri potest, inquit, *anisum Cretense esse, Thymum autem Atticum, aut planè ex editis locis & siccis, cuius quicquid lignosum est circumciso coma ipsa vna cum floribus inÿcietur*. Loquitur autem de Confectione Diatrionpiperon paranda, vbi ne verbulum quidem de purgatione, sed de ventriculi corroboratione, in qua purgantium meminisse nefas est: Et tamen Scaligeræum Epithymum, flos thymi dico, iniicitur.

Quid ergò? an ipsum sibi Galenum repugnare dices, vt qui Epithymum omnia quæ thymum posse aliàs aiat, modò neget? At enim nihil hic agis, potest Epithymum omnia quæ thymum, & efficacius & plus etiam; an ideo thymum omnia ea, quę Epithymum, posse necesse est? Considera hæc & mentem saniorem recipe.

Duplicem igitur vim habet Epithymum, manifestam vnam, occultam alteram, vt Medici loquuntur. Priorem, vt Galenus vult, Epithymum cum thymo communem habet, sed potentiorem: posteriorem sibi propriam: quod ipsa Galeni verba laudato loco docent: *Epithymum thymi facultatem habet, ad omnia efficacius* (manifestis intellige qualitatibus) *exiccat & calefacit in tertio gradu*. Habes igitur Galenum per suum Epithymum longè aliud intellexisse quam florem thymi. Quod à Dioscoride quin sit edoctus, nullus dubito. Quomodo enim fieri potuisset, vt Dioscorides scriptor alioquin tam diligens, adeò hic dormitaret, vt si flos thymi tam diuersam à tota planta reliqua naturam obtineret, ne verbulo quidem illud indicaret, ne videlicet in exhibendo thymo audaciores essemus, & pro condimēto Catharticum propinaremus? *Hebetibus*, inquit ille, *oculis in cibo prodest, per quam vtile pro condimento duntaxat ad vsus eorum qui rectè valent.*

Attamen nec hic omninò è periculo me expediui. Nam Dioscorides (quod tu vel quicunque alius rerum nostrarum maiorem vsum habens obiicere forsan queat) lib. 4. inter purgantia aliam thymi speciem nobis describit, quæ quod possit habere etiam aliam vim, quam thymum ipsum

libro 3. descriptum, non adeò est absurdum. Præclara & te digna argumentatio. Cur igitur Dioscorides non etiam Nardi species diuisit, quarum aliæ pretiosissimæ & beneolentes, aliæ inutiles & fætentes, eodem tamen capite, quod & in aliis facere assolet, omnes enumerantur. An forsan quia hoc thymum 4. lib. saturceiæ simile est, ideò tibi purgans est, & ex alimento aut condimento in Catharticum subitò transiit? Sed hoc tibi parum auxiliatur: nonne enim vides illud ipsum, quod 3. lib. descripsit Dioscorides, Thymbræ ipsi esse simile, nec tamen ob id has habere, quas suo ascribit Epithymo Dioscorides proprietates? Lege si placet sequens de Thymbra capitulum libro 3. cap. 36. *Thymbra* (siue vt vertunt communiter Satureia) *triuialis notitiæ est*, ait, *gignitur in locis asperis, & tenui, solo thymo similis &c. Eadem potest quæ thymum si modo consimiliter sumatur.* Vbi de purgatione nullum verbum.

At enim (nam id etiam exaudire videor) Thymo quoque ascripta purgatrix facultas inuenitur *pituitam enim per ventrem detrahit cum sale & aceto potum* docente Dioscoride. Non id me fugit, ne erres, sed id manifesta, non occulta proprietate euenire tibi confirmo, cum acetum incidat viscosos humores, sal abstergeat, acrimonia thymi stimulando ventriculi tunicas vellicet, vt pituita illa ab eo expellatur. Longè alia ratio est in purgantibus, quæ certum humorem, ex certo membro, ex certa ac determinata nobisq. occulta, cuius nullam reddere euidentem rationem possumus, qualitate euacuat, qua de re si necesse esse ducerem

Possem multa tibi veterum præcepta referre.

Nam & Sal hac manifesta qualitate pituitam deducit, & acetum per se sufficiens est, & nobis in oliuis aceto ac sale conditis, si quotidiè experimentum capere volumus, effectus perbellè respondet, ante prandium sumptæ enim ex stomacho cruditates abstergent.

Et quid tibi mentis esse potest, cum Plinium legis, qui lib. 26. cap. 8. hæc habet: *Quidam aliter Epithymum tradunt*

dunt sine radice nasci tenue similitudine pili &c. Non est consilium hoc loco vim facere voci *Pili*, ea enim optimè quadrat Ruellij versioni, quamuis tu illos admireris, qui nescio quos pilos, vt rides, vt *Homo & venustus, & dicax & vrbanus*, somniant in Epithymo. Hoc nobis dic sodes, an vnquam sine radice hunc florem vidisti? ast tuum Epithymum nil aliud est, quam flos quidam, quem Plinius ait sine radice nasci, veluti quorundam est opinio. Necdum quiescis. *Flos tamen,* inquis, *est Epithymum Dioscoridis, non est pilus.* Hic mea opera non indiges: nam dudum tibi respondit Costæus doctissimus, & benè quidem in cap. de Epithymo in Mesue, cuius ego tibi commentatoris verba apponere non grauabor. *Nam*, vt Plato vult, *qui discit ex alijs, non debet ingratus esse, nec vindicare sibi aliena inuenta. Etsi enim* (inquit Costæus) *Dioscoridis verba cum ait,* ἐπίθυμον θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρα ἐοικότος *Epithymum innuant florem esse verum Thymi, sunt tamen sanè intelligenda, neque ab eo discedendum, quod sensus docet. Scitè ergo Plinius vertit florem esse è Thymo, ne interea ipse repetam, quod & alij dixere* ἄνθος *vocem non tam florem, quam quicquid rebus supercurrit significare, cum dicatur* ἄνθος παρὰ ἄνωθεν ἐν τῷ αὐξάνεσθαι *quod scilicet rebus supercurrat crescendo, id enim vel Grammatici docent. Non est ergo meo iudicio dubitandi de hac re locus, quamuis non desint, qui nodum in Scirpo quærant.* Hæc ille, qui ex professo hanc tecum Grammaticam videtur disceptationem instituisse.

Vt par pari referatur, tu mihi de hoc quod iam quæsiturus sum, ingenue respondeas. Theoph. lib. 1. de caus. plant. cap. 5. *Nam & inter minora* ait, *non desunt herbæ, quorum natura facilè oblitescat, seu thymi & reliquorum, quæ subiunximus, sensu namq. ea semina percipi nequeunt, quanquā vi sua nimirū patent. Thymum enim satis suis flosculis nascitur.* Quod etiam idem Theoph. 4. de caus. plant. cap. 5. affirmat. & pater tuus tum præcedente loco, tum 1. de caus. plant. cap. 1. Dioscorides vero lib. 4. cap. 160. semen Alypi cum semine Epithymi confert. Si ergo semen thymi

(cuius flos apud te non est aliud, quam verum Dioscoridis Epithymum) sensu non percipitur, quid attinet comparationem seminis huius, quod in Alypo manifestum est, cum illo quod in thymo videri, vt grauissimi isti auctores volunt, non potest, instititui? Ast ego pace praeceptorum meorum dicam me frequenter semen ipsum ex spicatis illis thymi Cretici dicti, quod in Apulia etiam nascitur, odoratissimis flosculis, nigricans, papaueris semine longè minus conspexisse.

Nolo te diutius detinere, *sufficiat enim antiqua & à maioribus ad nos propagata persuasio, qua nullum euidentius potest inueniri argumentum.* Non negabis tu te Iulij Cæsaris Iosephum esse filium, cuius nec dictis nec factis repugnabis. Is exercitatione 168. cōtra Cardan. sic scribit: *Qua ratione etiam è Thymo prodit Epithymum, non è semine, haud sine recentiorum nugis, qui diuersum fecerunt ab Arabico Græcum.* A. Varius dicebat: *aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit.* Adhuc in pertinacia tua persistes?

Nulla ne res poterit crudelis flectere mentis
consilium? Adhuc pugnabis? *At tu ne pugna:*
Non æquum est pugnare pater quod tradidit ipse,
Ipse pater cum matre quibus parere necesse est.

An verum adeò Homericum illud:

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται.

Pauci filij sunt similes patri.

Hoc saltem sedulò considera, quod Quintilianus hortatur: *Non omnia quæ magni auctores dixerunt, vtiq. esse perfecta, nam & labuntur aliquando & oneri cedunt & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum & nonnunquam fatigantur; veruntamen modesto & circumspecto de tantis viris iudicio pronunciandum est, ne quod plerisq. accidit damnent quæ non intelligunt.* Non potes sanè effugere, quin illud Martialis audias:

Magnus ab æternis reuocetur Tullius vmbris,
Et te defendat Regulus ipse licet,
Non potes absolui.

Spatiosus campus esset hic de Thymo vtroq. de Cuscuta,

ſcuta, Caſsytha, Epithymo, Satureia, aliiſq. nonnullis adferendi dubia, eaq. ſoluendi, ſed quia tecum mihi negotium eſt, qui vt intelligo plantarum non vſque adeò peritus es, & quia ne Epiſtola in librum exeat metuo, finio tandem, vbi quid Epithymum noſtrum ſit, qui diſceptationis noſtræ ſcopus eſt, tribus te verbis doceam.

Epithymum igitur eſt planta capillaris & volubilis, ſubrubra, quæ Thymo præſertim, Thymbra, Serpillo, & alijs eius generis plantis ſe circumuoluit, innumeros per interualla floſculos emittens, eoſq. geminatos, candidos vel herbaceos, capitatos, rotundos nempe, non ſpicatos, ex quibus pili quidam coloris atrorubentis (quos Ruellius caudiculas vocat) erumpunt.

Cuſcuta quæ lini podagra vulgo dicitur, non multum huic diſſimilis, niſi quod alba hæc ſit, & capitula habeat multo maiora, & tota planta vegetior. Vtraque enim foliis caret, radice non caret. Hic pater tuus non leuiter lapſus eſt, qui lib. 5. cap. 6. de cauſis plant. Theophraſti, cum diſputaſſet ſola alteratione produci poſſe plantas in plantis, ex ſubſiſtentis plantæ communibus principiis, quæ ſymbola vocant ſapientes: Hæc addit: *Sic in lentiſci, atque aliorum folliculis culices innaſci dicebamus alibi, non ex putredine, ſed ex principijs quibuſdam alteratis, ſic è Thymbra Epithymum ſine ſemine, ſine putredine.* Et lib. 1. cap. 10. enumerat Epithymum inter plantas quæ in aliis plantis proueniunt. Quod in exercitationibus ſuis contra Cardanum loco iã ſupra producto confirmat vbi vult, quẽadmodum viſcum ex arbore naſcitur, ita Epithymũ ex thymo ſcaturire. Ita vt etiam libro 2. de Cauſ. plant. cap. 23. differentiam hanc ſtatuat inter plantas quæ aliis plantis innaſcuntur, quod quædam ex terra, quæ fortè plantis inhæret, enaſcantur, veluti hedera ex arboribus, intra quarum cortices quid terreum eſt, aliæ ex ipſis plantis ſine terræ interuentu, vt Cuſcuta, Epithymum & viſcum. Non moleſtè patrem ipſum audiueris: *Hedera verò naſcitur*, inquit, *in arboribus vetuſtis, quarum cortices ita biant, vt intus contineant aliquid terreum, vnde & Muſcus & Poly-*

Polypodium & Lychen oriri quoque consueuerint. At visco aut Cuscuta, aut Epithymo, de quo mirum hic sileri, nihil horum. Ex quibus manifestum fit, Patrem tuum huius fuisse opinionis non ex terra, sed ex plantis enasci Cuscutam, Viscum & Epithymum.

Hic quis non miretur quod eodem capite sibi repugnat, dum hæc scribit: *Altera historia de Cadyta quam appellat herbulam. Si hac est Cuscuta nostra (Nam prisci isti nimis vecordes fuere in figurarum silentio) hoc plus scimus non solum aduolui plantis sed etiam seorsum in pratis macris per se prodire.* Et in libro 2. de plantis Aristoteli adscriptis sic habet: *Quanquam illud quoque animaduertendum est, Cuscutam siue Cassytam non è lino prodire, sed è solo macro (macescit enim lini satu) natam lini stipulis aduolui, sicut & vicias cet:raq. plantarum impedimenta.* Quod voluissem perpendisset etiam in Epithymo nostro, quod non solum thymo, sed thymbræ, serpillo etiam ac stæbæ aduoluitur ex ipsa terra enatum. Vnde Plinius solebat dicere quosdam putare Epithymum sine radice nasci. Quia nimirum non rarò planta ipsa Epithymi postquam viticulis suis & capreolis capillaribus fortissimè alias herbas apprehendit, illæq. altius ac latius se propagant, à radice abrumpitur, viuit tamen in ipsa postmodum planta ex illa succum, non aliter, ac prius radice ex terra, depopulans, quod videmus quotidiè in hedera, cui licet radix sit detruncata, muro tamen ac arboribus complexa hærens, quasi in illas radiculas egerit, alimentum veluti manibus sibi sufficiens trahit.

Quod autem à Dioscoride flos è thymo sumptus vocatur Epithymum, id non ideò factum existimes, quasi Dioscorides cum patre tuo deceptus hanc herbulam ex ipso thymo efflorescere crediderit. Sed quia plerúnque flosculi Epithymi summitates ipsas thymi occupant, vbi nēpè inter foliola ita geminati & conduplicati se adaptant, vt obiter intuenti verus & genuinus thymi flosculus apparere possit. Huic flori cum capillaribus illis paruis caudis Græca, Arabica, & Latina Medicorum schola tribuit facul-

facultatem illam purgatricem, eamque quotidie non sine maximo ægrorum emolumento experitur. Finge te, mi Scaliger ex eorum numero ægrotorum esse, quibus omnia amara videntur, sed cum vident alios sine molestia comedere, tunc demum in se morbi coniiciunt culpam. Cum enim tot veteres & recentiores Epithymũ illud nostrum capillaceum hactenus sine vlla stomachi offensione concoxerint, non dubito quin & tu illud iam melius edoctus, deuorare possis.

Vale igitur cum Criticis tuis & periculosis emendationibus; & scias illud, quod

Quisquis plus iusto non sapit ille sapit.

neque nos periculosæ posthac ignorantiæ condemnes, & vel Patris tui Manibus parcas, qui cum esset alter Aesculapius, non potuit fieri, vt tam periculoso errore implicitus, ægrotis suis pro vero Epithymo tuo (si Diis placet) nescio quos pilos & caprinam lanam præbendo, tot ab orco reuocauerit mortales, neque enim Hippocrates permittit, vt tam diuersarum rerum vna pro altera exhibeatur, à quo is totus pependit.

Nos igitur DEI virtute (parta victoria vt tibi visum est triumphas tandem) *primi nociuam causam errorum & periculosæ ignorantiæ ex bono scriptore sustulimus, quæ doctorum hominum ingenia hactenus exercuit, idque propter ignorationẽ huius partis humanitatis, quam Criticen vocant. Tanti momenti est errores veteres, qui iamdudum in bonis auctoribus inoleuerunt, odorari posse. Quare non est quod posthac quisquam in Dioscoride cum Ruellio, aut vllas caudiculas, voces latino cælo ignotas, neque nescio quos pilos bariolετur. Omnia plana sunt omnia illustria ac perspicua, ὑρίαχοι igitur hic sunt spicarũ mucrones. At spica nardi ac spica allij alia ratio, quam reddere non possum, at illam rectè possum. Nam quicquid in acumen desinit veteres spicum vocabant, vnde deminutiuum spiculum & verbum inspico, vt:* Ferroque faces inspicat acuto. *Et sanè ὑρίαχοι nihil aliud quam spicum.*

O Pyrgopolinice! quem enim alium te appellem? nonne iam

ne iam Artotrogi alicuius operam pretio pretioſo emptam velles ? qui aliquid tibi ad exemplum illud acclamaret.

Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolinicen te vnum in terra viuere,
Virtute & forma & factis inuictiſſimis,
Amant te omnes mulieres, neque hercle iniuria
Qui ſis tam pulcher.

Quid audio ? Vos igitur Illuſtriſſime Domine Scaliger, Vos, inquam, Dei gratia ac virtute Veronæ, ac Vicetiæ princeps primi tam graues ac periculoſos errores animaduertiſtis, & Critices iſtius veſtræ opera correxiſtis ?

Rideo hunc (diceret Syrus aliquis) *primum ait, ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia.*

Quis enim iam ex iis, quæ diſputaui, intempeſtiuam fuiſſe tuam Criticam Medicinam non intelligat ? Vt Dioſcoridis locus ſanus & ſaluus Plautinum illud conferre in te poſſit:

Hei mihi inſanire me aiunt, vltrò cum ipſi inſaniant.

Quam nunc tua cauſa doleo non viuere hodie patrem tuum, qui quæ hominis erat in Medicina, ſi verum de eo ſcribis, diuinitas, atra te bile percitum ac cerritum curaret. Cuius quoniam copia non datur, ego cum fæce iſta, quam vocas, pharmacopœorum, in locum ipſius ſuccedam, tuumq. caput iſtud tribus Anticyris inſanabile probè me perpurgaturum recipio.

Helleborum potabis faxo aliquos viginti dies.

niſi tamen tu leuiore modo defungi te poſſe exiſtimans ad Mænæchmum illum Plautinum potius adeundum tibi putabis, & nummum illum, quem ipſe vltrò Cylindro offert, tibi dari poſtulabis, vt iubeas ſcilicet porculum Sacrem ſincerum afferri tibi, teque de aliena pecunia piari.

Nam ego quidem inſanum te eſſe certò ſcio.

Mirum porro eſt, te qui plana omnia, planus ipſe: illuſtria ac perſpicua, Illuſtriſſimis heros facere ſcias: ſpicæ nardi, & ſpicæ allij rationem reddere non poſſe. quod quoniam me Magiſtro ſupra didiciſti, quicquam ne cauſæ

nunc

nunc est, quia gratiam pro iis, quæ nos nequicquam docere voluisti, prolixè tibi persoluisse videri debeam? Sed de hoc aliorum, tuum inprimis *Scioppi* Clarissime & humanissime, & præstantissimi Doctoris ac Magistri mei *Adriani Romani*, viri, vt de me & studiis meis est meritus, semper à me honoris causa appellandi, iudicium esto (*Nam talia nostra sunt*, vt Platonis ore loquar, *non qualia quis optet, Sed qualia esse possunt.*) Quibus si non lusisse operam, Medicorumq. ac Pharmacopœorum honorem ab istius iniuria sartum tectum præstitisse existimabor, non nisi optima quæque de aliorum iudiciis meritò mihi polliceri possum, Vale. Romæ Calendis Februariis Anno 1607.

FINIS.

IN SPICAM CILISSAM SEV NARDVM VIRI CLARISSIMI IOANNIS FABRI BAMBERGENSIS

A Spica Cilissa seu Croco

IOSEPHI SCALIGERI LIBERATAM.

Scaligeri olfaciat quantumuis nasus, olebit
NARDVM, non tenues SPICA CILISSA Crocos.
Herbida quid ni habeant NARDVM viridaria Vatum,
Vrere siue velis, vngere siue velis?
Verus vel falsus tu Scaliger esto, IOSEPHE,
Hac in re verus Scaliger esse nequis.
Consumant sua in herba alij, male sanus in Herba
Decoxit famam Scaliger ingenij.
Hanc tibi docte FABER NARDVM debebimus, herbas
Qui sanas, sanos qua tamen esse iubent.
Ergo IOSEPHE herbam Victori porrige FABRO,
Herbam defendit, cui datur herba, FABER.

IN EPITHYMVM EIVSDEM, QVOD IOSEPHVS Scaliger Thymi florem esse falsò asseruit.

QVos libent auidæ terantue flores,
Vt cautæ abstineant adulterinis,
Olfactu olfaciunt apes sagaci:
FLOREM siue THYMI dapes opimas,
Seù quemcumq. alium velint adire.
Apes vix animal, nihilq. planè,
Si possit minimum nihil vocari.
THYMI qui nequiit videre FLOREM
Quem vos SCALIGERVM putatis esse?
THYMI qui potuit videre FLOREM,
Quem vos quæso FABRVM putatis esse?

Petrus Musnierius Vezelius Gallus.

IN DISPVTATIONEM

V. CL. IOANNIS FABRI

BAMBERGENSIS.

Aduersus

IOSEPHVM SCALIGERVM.

DE

NARDO ET EPITHYMO

HENDECASYLLABI.

QVid te doctius est, disertiusue
FABER Paeonij decus Theatri?
Quem septem pia collibus, Quiritum
Complexu Genitrix fouet beato;
Nunc prisci HIPPOCRATIS libros, senisq.
Voluentem aurea scripta PERGAMENI:
Vt te pulpita densa personantem,
Attenta Latialis aure pubes
Lubens hauriat, efferatq. cœlo.
Nunc sacri viridariis vagantem
Inter florea septa VATICANI.
Nunc emortua, dextera sagaci,
Docto corpora cœtui secantem:
Vnde arcana mali petisse morbi,
Membrorum finibus, licet, receptis.
Quod Antenoreo FALOPIANA
Olim industria præstitit Lycæo,
Quod VESALIVS eleganter ausus
Immortalibus expedire chartis.
Viues tu quoque docta per virorum
Præsens ora FABER, fabrè & venustè
Cudens plurima, quæ futura secla
Ausint omnibus anteferre chartis.

ADVERSVS
IOSEPHVM SCALIGERVM DE R. P. CHRISTOPHORO CLAVIO, ET V. CL. IOANNE FABRO BAMBERGENSIBVS.

DVm Criticus IOSEPHE tibi non sufficit orbis,
Et rapis audaci regna aliena manu.
Dum liquidà imbelli contendis in astra volatu,
Humanis satagens altior ipse viȳs.
Sæpe Mathematico radios in puluere vanos
Ducis, & incerta sidera lege premis.
Sæpè Machaonias, nimium temerarius, herbas
Cogis in arbitriȳ cedere iura tui.
Sic quondam vileis cœlum tentasse Gygantes
Fama est, suppliciȳs nomina notà suis.
Ignarus Phaeton patriæ moderator habenæ,
Vaiouis iratas sensit adesse manus.
Icarus infami signauit nomine Pontum,
Dædaleum spreuit dum malesuadus iter.
Te quoque in alterius CAELOQ. SOLOQ. vagantem
Impulit in BATAVVM vis inimica fretum.
Impediere tuos BAMBERGAE fulmina gressus,
Quæ FABER hinc, & quæ CLAVIVS inde iacit.
Plaudite Cærulea BELGARVM plaudite nymphæ,
Oceanus vobis SCALIGERAEVS erit.

IVSTVS RICHIVS
Flander Gandauensis.

MEDI-

MEDICI HONORIS VINDICI VIRO CLARISS: IOANNI FABRO BAMBERGENSI, OB NARDVM PROPERTIO, ET DIOSCORIDI EPITHYMVM, AMBO A IOSEPHO SCALIGERO SVBLATA, NVNC FELICITER RECVPERATA TROPHAEVM DICATVM.

Viderat indignis profcindi Pæonas armis,
SCALIGERVMQ. fibi malè notum, impunè per agros
Graffari medicos, veterum temerare labores,
Et velut Harpyam tactu fędare profano,
Ille Machaoniæ fpes maxima gentis, & idem
BVRDO tui (quod pace tua memorabo) doloris
Opprobriiq; FABER; mora nulla exæftuat ira,
Et tam Væfano contra parat ire furori,
Ac iam pro VERO pulchrum fuccurrit in armis
Stare repulforem iaculorum, & ftringere contra.
Quin Afclepiadum fpretum decus excitat acres
Ingenij vires, iuuat indulgere dolori,
Et læfam Nemefin iuftis placare piaclis.
Amphytrioniades veluti, cum voce rapinam
Semihominis Caci, & cæcum mugitibus antrum
Proderet vna boum, rapit arma, & feruidus hoftem
Horrifonum, trepidantemq; ac faucibus eructantem
Confufo flammas fumo, iugulare laborat.
Ex illo celebratus honos, & facra quotannis
Victori Alcidæ: fed quod fuit ille Latinis,
Id FABER es Medicis, ftudium, labor vnus vtriq.
Cur non laus eadem, cur non tibi gloria par fit?
At neque maiori vel fe Tirynthius Heros
Iactet honore, licet Lernæ obtruncauerit Hydram,
Augiæ ftabulis impenderit expurgandis

Immen-

Immensas vires, debentur maxima laudis
Virtuti solidæ præconia, parua lacertis,
Ecce cohors iuuenum maturorumq. virorum,
Quos cura exercet norma miscere salubri,
Ambrosiæ rores, & odoriferam Panacæam:
Non opis esse suæ memorant persoluere grates,
Quas tibi pro salua NARDO debere fatentur.
Quodq. imposturas retegendo. protinus omnes
Inscitiæ maculas, ignominiamq. repellas.
Pyxidibus peregrina dicant Thymiamata plenis,
Et quæ diues Arabs legit arbore, quæq. Sabæi
Solis ad exortus Erythræo ab littore mittunt:
Balsama, Nestoreos succos, & aroma Molucæ.
His varias plantas, & odora munera Floræ,
Tergeminam adijciunt Nardum, Costumq. Meuq.
Nec non Malabathrum Syrij geniale Coloni,
Dyctamnumq. Idæ, quo non præsentius vllum
Telorum genus omne trahit, pellitq. venenum.
Vt te longæuum maiora ad bella reseruent.
Quare age, præclaros generosi pectoris actus
Magne vir Aonidum decus, & decus Archiatrorum,
Exsere iam tandem, perq. ardua & inuia rerum,
Quo tua te virtus trahit imperterritus ito.
Vltro, ne dubita, facilisq. sequetur Apollo.
Sic te semper amet, sic te pro fortibus ausis
Perpetuò beet Hygeia nostra.
Sicq. tuum donent dulces (tua gaudia) Musæ
Post Cineres magis atque magis clarescere nomen.

Onophrius Burginius Lucernas Phil.
& Med. Fautori & Amico DDD.

F I N I S.

Imprimatur. Si videbitur R.P.Magiſtro Sacri Palatij.
Cæſar Fidelis Vicegerens.



Imprimatur.
Frater Auguſtinus Galaminius Sacri Palatij Apoſtolici
Magiſter.

R O M AE,
Apud Guglielmum Facciotum. M.DC.VII.